DISSERTATIO LITERARIA

DE

DEO PLATONIS.

DISSERTATIO LITERARIA
DE
DEO PLATONIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

MICHAËLIS JACOBI MACQUELYN,

MED. DOCT. ET PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET HUMANIORIBUS LITERIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOANNES TIDEMAN,

AMSTELODAMENSIS,

DIE XVIII JANUARII MDCCCXXX. HORA I—II.

AMSTELODAMI.

EX OFFICINÂ TYPOGRAPHICÂ A. ZWEESAARDT.

MDCCCXXX.

VIRO NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO,

Mauritio Cornelio van Hall,

J. U. D. ORD. LEON. BELG. ADSCR. INST. REG. ART. ET DOCTR.
SOCIO, ILL. ATHENAEI AMSTEL. CURATORI,
EGREGIO LITERARUM FAUTORI, DE SE SUISQUE STUDIIS
PATRIS INSTAR MERITO, ALIQUANDO, UT EST IN
VOTIS, PATRI OPTIMO FUTURO,

ET

VIRO NOBILISSIMO, CLARISSIMO,

Abrah. des Amorie v. d. Hoeven,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET THEOL. DOCTORI, ORD.
LEON. BELG. ADSCRIPTO, IN GYMNASIO REMONSTRANTIUM
THEOLOGIAE ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE
PROFESSORI,
PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO, OMNI NOMINE DE SE MERITO

hoc pietatis, gratique animi specimen

D. D. D.

AUCTOR.

VIRO NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO,

Mauritio Cornelio van Hall,

VIRO NOBILISSIMO, CLARISSIMO,

Abrah. des Amorie v. d. Hoeven,

hoc pietatis, grati et animi specimen

D. D. D.

Commentationis hujusce rationem et consilium exposui in Praefatione ipsi praemissâ. Hoc igitur loco illud tantum agendum est, (est vero magnum, est exoptatissimum,) ut gratum me significem discipulum, gratum amicum. Non quia sic fieri solet, sed quoniam animus flagitat atque jubet. Hac nostrâ praesertim aetate, hâc nostrâ in patriâ decet juvenem, cui contigit Literarum antiquarum studio excoli, palam profiteri, se maxima fere vitae commoda ex hoc studio sibi exorta censere; se autem omnia illa Clarissimorum Praeceptorum institutioni lubenter accepta ferre, quippe qui animum juvenilem verae doctrinae imbuerunt amore, ingenium vagum et incertum lectionibus suis et praeceptis continuerunt, rexerunt, et ad aptam studiorum rationem applicarunt.

Quem autem, cum haec profiteor, magis intuerer, quam te, Vir clar. v. LENNEP! *Publica tua, at vero etiam privata institutio eo semper*

—

egregie valere mihi visa est, ut ex animo Literarum studium amplecterentur discipuli. Tuo enim ore suavissimi nobis fiebant suaves Poëtarum lusus, gravissima gravis Oratorum dictio. Te disserente, te colloquente, ludentes quasi in ipsam antiquitatem se abripi sentiebant, quotquot se abripi patiebantur. Te duce, Literae Graecae atque Latinae pulcri, boni nobis exstitere fontes; te duce, Historia nobis facta est vitae magistra. — At, quid longus sum? Laudandi sum imperitus, nec valet multum mea laus. Hoc tantum existimes, V. Clar., precor, me gratissimum esse tibi discipulum, cui favor tuus maximi semper habebitur.

Utinam autem etiamnunc grato discipulo hic compellare liceret optimum praeceptorem, Clar. VAN CAPPELLE. *Discipulis praesertim flebilis ille occidit; fuit enim discipulorum omnium amicus, benevolus iis et peritissimus studiorum dux. Vitae integritate, animi pietate conspicuus, egregie suo nos docuit exemplo, quales quantosque vera etiam eruditio ad vitam bene ducendam usus habeat. Talem autem cum se omnibus proderet, me praesertim, cui saepius licuit Virum optimum adire, sibi unice devinxit; et grato semper animo pia inhaerebit Viri haud satis laudandi memoria; quâ optime impellar ad indefesso, sed prudenti labore instituenda studia.*

Relictis Literatorum scholis, ad vos me contuli, VV. Cl. VAN DER HOEVEN, MULLER *et* KOOPMANS; *quapropter jam ad vos quoque mea se convertit oratio. Vos optimos duces in gravissimis Theologiae studiis nactus, denuo sum usu*

expertus, quantopere juveni prosit praeceptorum doctissimorum benevola institutio. Tua inprimis, V. Cl. VAN DER HOEVEN, de me merita hic celebrare gestit animus. Non tantum Praeceptorem te obtulisti, commodis discipulorum egregie inservientem, verum etiam studiorum, quin imo vitae comitem ac socium amicissimum. Veras nobis rerum Divinarum dare notiones, ex uno Sacri Codicis fonte haustas; pio, quo ipse ardes, Dei, Filii divini, hominumque omnium nos imbuere amore; ingenium, mentem, animum totum conformare, dirigere ad gravissimum illud et sublime munus, quo fungitur Verbi Divini Minister; eloquentiae, quae jure demum eloquentia dicitur, sacrae studio nos incendere; hoc unice voluisti, eo tendit omnis tua institutio; et, si fefellere conatus, nobis tantum hoc vitio est vertendum. Tot tantisque his beneficiis unum illud addas te obtestor, ut numquam gratum discipulum tuo praesidio, tuo favore destituas; hoc credas, me ut Patri futuro, ita et tibi non tantum hunc parvi pretii libellum, sed totum dicare animum, semperque dicaturum; meque supplicem precari Deum O. M., ut diu incolumem te esse patiatur, Literarum et Theologiae doctissimum fautorem, Patriae decus insigne, Ecclesiae Christianae statorem eximium, firmissimum praesidium!

Nec vero vestrum me immemorem putetis, Amici integerrimi, studiorum Socii, Sodales optimi. Si quid profecerim Litterarum Studio, vobis quoque plurimum me debere sentio. Meminisse juvat, semperque juvabit, sodalitii illius, quo amice junc-

tis ingenii viribus, humanioribus Litteris operam dedimus; quo animorum exstitit consortium et vinculum, numquam solvendum; quo experti sumus vere dici: INGENIUM AUGUNT ARTES, AMICITIAM ALUNT. — Et vos omnes, quos Amicos cognoverim, quibuscum umquam studia junxerim, de hoc vobis persuasum sit, me, etiamsi, quod jam jam instat, longe a vobis removear, semper gratum vobis fore amicum, et veteris amicitiae me pie usque conservaturum esse memoriam.

DISSERTATIO LITERARIA.

PRAEFATIO.

Τὸν μὲν Ποιητὴν καὶ Πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. His TIMAEUS ille, quem PLATO inducit de rerum ortu disputaturum, se arduum sibi sumere laborem significat: verum enim et satis certam sibi comparare Auctoris rerum omnium et Patris notionem, atque dein illam aliis exponere, periculosae plenum opus aleae judicat. Nec mirum. Vel nos etiamnunc hoc profiteri decet. Cognoscimus Deum, quatenus ad vitam bene ducendam eum cognoscere homini prodest. Tantum autem abest, ut plane naturam Summi Numinis perspiciamus, ut, qui audaci ingenio, ratione duce, hanc intelligere tentarunt, in tristissimos fere rapti sint errores. Quid igitur veteri Philosopho magis arduum fuisse censeamus, quam rationis tantum lumine et sensus interni voce ductus, in re, omni cognitione humanâ majore, verum a falso distinguere? Quid PLATONI praesertim difficilius, qui ea vixit aetate, quâ, si SOCRATEM excipias, nullus fere adhucdum Poeta aut Philosophus e fabuloso

indumento veritatem eruerat, aut veriorem de Deo doctrinam tradiderat; quâ Graeci in universum superstitiosâ adhuc religione avitis et male piis inhaerescebant Poëtarum antiquissimorum traditionibus. Et hoc etiam causis est annumerandum, cur ἀδύνατον censuerit Philosophus, Deum, quem inquirendo cognoverit, εἰς πάντας λέγειν. Carissimi erant populo patrii errores; eos confirmabant et commendabant patriae leges et instituta civilia, cum sacris arctissime conjuncta; iis erroribus obsessi, verum agnoscere homines plerumque non valebant. — Ad haec omnia respexit, PLATO, cum in sui, discipulorum civiumque omnium egregium commodum experiri suscepit, quousque mens humana, prudenter inquirendo, de Diis certa cognoscere valeret.

Ne, igitur, qui PLATONEM legere incipiat, sibi omnia plana, aut probata fore speret, quae de Deo Divinâque Naturâ dixerit Philosophus. Novimus praeterea virum, omnibus Graecis philosophis doctrinae copiâ, ingenii acutâ subtilitate longe praestantem, at eo ipso nimia saepe ausum, in illa nonnumquam inquirere tentantem, quae hominis menti sunt inaccessa. Hinc nova saepius et nobis inaudita legere videmur, quorumque vestigia apud antiquissimos Poëtas reperire tum demum meminimus, cum plene PLATONIS mentem perceperimus. Accedit poëtica dictio, quae, licet sit venustissima, consilio philosophiae Platonicae perquam apta, et omnes mirifice capiat, nobis tamen, utpote insueta nimis, haud minimas subinde creat difficultates.

Sunt alia etiam quam plurima, quae has difficultates augent; Pythagorica saepe philosophandi et

dicendi ratio: Interpretum antiquorum et recentiorum, a variis studiis et praejudicatis opinionibus pendentium diversae sententiae. Verum haec omitto, quoniam parce modestus, quam operis mei difficultates urgens, laudis studiosus videri malo.

Quod autem hanc de Deo PLATONIS difficilem quaestionem scribendo explicare aggressus sum, variae fuere causae. Et primo quidem, cum semel longius tempus Literarum dedissem studiis, gestivit animus, omnibus illis viris aestumatissimis, qui de me meisque studiis egregie meriti sunt, disputatione conscribendâ significare, numquid eorum institutione profecerim; nec diffiteor arrisisse aliquando etiam honorificum Doctoris titulum. Hoc proposito argumentum respiciens, haud diu frustra quaesivi. Mirifice me ceperat PLATONIS studium; et, cum ab omni aetate varie semper de Deo disputatum esse, in Theologorum Scholis cognovissem, flagitabam inquirere, quales igitur summus Graecorum Philosophus PLATO de Deo Diisve fovisset sententias. Res videbatur maximi momenti, mihique utilissima; et etiamnunc videtur.

Est nimirum quaestio, in antiquâ philosophiâ longe primaria, de Deo divinaque naturâ; quare multum interest principis philosophorum hac de re cognovisse sententias; praesertim, cum ad PLATONIS sententias tot deinceps respexerunt philosophi, studiose adeo eas vel secuti, vel infestare conati, ut, nisi earum sis peritus, saepius in philosophiâ, quae post PLATONEM exstitit, hospes sis necesse sit. Novimus praeterea, eheu novimus!, quantam quamque funestam aliquando in Christianam religionem et Ec-

clesiam vim exseruerit ipsa illa philosophia PLATONIS; cum eam inepte satis ad Christi doctrinam converterent, aut hanc ad illam contorquerent Doctores. Egregie ideo ad errorum multorum fontes cognoscendos valere potest inquisitio in sententias PLATONIS de Divina Natura, Deo rerum auctore et gubernatore. — Porro, divinae nostrae Religionis veritas sublimis, summa auctoritas, et salutaris indoles melius percipiuntur, ubi vel optimi Philosophi Gentilis doctrina illi comparetur. Sic egregie sentitur, quantis erroribus humanum ingenium sit obnoxium, quando de rebus quaerit divinis; quantopere autem summi philosophi anxie quaerendo prodiderint, se egere veriore, pleniore hac de re institutione; quales quantasque tenebras divina veritatis lux pepulerit; quam laeta nostra sit conditio, quibus ipse Deus sui notitiam verissimam, ad vitae usum perfectam in Christo dedit.

Denique, quod ad ipsam PLATONIS philosophiam attinet, Philosophi de Deo sententiae adeo per omnes ejus partes sunt diffusae quasi et immixtae, ut simul hae ex illis, illae ex his explicandae sint. Etenim, omnis philosophiae finis PLATONI est ὁμοίωσις τῷ θεῷ, quam rite intelligere nemo possit, quin invenerit, qualis sit ille Deus. Ideae illae, quarum doctrina latissime in PLATONIS philosophia patet, a Deo sejungendae non sunt, et fere ex ipso cognoscendae. Arctissime cum Vero, Pulcro, Bono connexa est Divina Natura. Ab ejus notione omnis pendet de rerum ortu philosophia apud PLATONEM. Ipsae ejus de animo sententiae, quae principium quasi et fons sunt Platonicae philosophiae, intelligi

plene non possunt, nisi Deum PLATONIS cognoscamus. Denique, apud PLATONEM, omnis a Deo orditur virtus, omnis ab eo proficiscitur vitae felicitas; in Deo est illa σοφία, quam invicto studio quaerunt φιλόσοφοι; hominum vita a Deo incipit, in Deum desinit.

Est igitur magni momenti, utilissima quaestio de Deo PLATONIS. Facile tamen haec ita extendi possit, ut Academicae disputationis excederet terminos. Quare non illud mihi proposui, plene absolvere argumentum; praecipua tantum explicare connisus sum; plurima, e dictis facile cuique explicanda, verbo notare. Diu autem incertus haesi, quonam ordine in explicandis rebus procedere praestaret. Jam haec, jam illa placuit ratio. Alios ubi intueri tutissimum videbatur, non habebam, quos intuerer. TIEDEMANNI enim Viri Clar. *de Deo Platonis* dissertationem comparare mihi haud contigit. Denique ab ipso PLATONE sciscitari constitui, quâ viâ incessisset. At frustra sciscitatus sum. Statim animadverti, datâ opportunitate nunc hanc nunc illam tractasse Philosophum de Diis quaestionem, prout ferebant philosophantium studia argumentique ratio. Tandem igitur hanc disputationem ita suscepi, non ut apud me jam constitutum esset, quo ordine procederem; sed ut, exordio facto ab exponendis argumentis, quibus, Deos esse, probavit PLATO, (haec enim jure suo praecedunt), dein ad ea transirem, ad quae tractata quaestio ducere videretur.

Observationes quasdam addidi, ut non interruptus procederet orationis cursus, simul tamen monerentur quaedam tum de variis Interpretum senten-

tiis, tum de locis difficilioribus, tum de aliis quaestionibus ad nostrum argumentum pertinentibus. Non fere datâ operâ quaesivi de iis PLATONIS dialogis, quibus usus sum, num germana sint auctoris scripta. Nequaquam enim nos movit ASTII Viri doct. in rejiciendis plurimis audacia, quominus, tacite assensum praebentes optimis PLATONIS interpretibus, WYTTENBACHIO, HEUSDIO, aliis, dialogos, quos ipsi PLATONIS nomine insigniunt, nos quoque ab ipso auctore profectos censeremus. Pariter de aliis, quae attulimus, scriptis, ut sunt PLUTARCHI, aliorum, judicium cohibentes vulgarem secuti sumus opinionem.

Haec de instituti nostri ratione dicta sunto. Jam ipsam aggrediamur primam quaestionem, inquirentes: *quibusnam argumentis, Deos esse, probaverit* PLATO.

DISSERTATIO LITTERARIA

DE

DEO PLATONIS.

Licet communis semper fuerit ac constans opinio, Deos esse, tamen omni fere aetate exstitere cultas inter nationes homines, qui rei veritatem aut in dubium vocarent, aut aperte negarent, aut etiam, qui, verbis assensum praebentes, revera Deos sustulisse censendi sint. Ut vel rei ratio hoc sumere suadet, ita philosophiae historia multis testatur. Non quod nesciam a quibusdam dici nullos esse ἀθεούς. « Mentiuntur," inquit SENECA, « qui dicunt se non sentire esse Deum; nam etsi tibi affirment interdiu, noctu tamen et sibi dubitant." Sed alia est quaestio, utrum sibi constiterint, qui negare sustinuerunt; utrum sedatâ et tranquillâ mente, opinionibus praejudicatis vacuâ, secum diligenter reputaverint, cum assensum cohiberent: nos de facto quaerimus, rationem facti minus curamus.

Aetate certe PLATONIS philosophorum in Scholis multorum audiebantur dubitantium, quin imo negantium voces. Pravae divulgabantur novae doctrinae. Poetarum HOMERI maxime et HESIODI carmina, non

huic hominum generi composita, tamquam divina audiebantur oracula; et sic uberrimi existebant errorum et impietatis fontes. Mores, crescente Athenarum famâ et imperio, corrumpebantur uberrimo divitiarum usu et novis exortis studiis; quo rarior etiam vera animi pietas. Ipsa hoc satis probant summi philosophi scripta. Quoties enim virorum, (σόφους istos vocabat vulgus, vocabant se ipsi!) tali impietatis labe infectorum in iis fit mentio! Quoties istorum sententias optimus SOCRATES, TIMAEUS, aut HOSPITES, qui PLATONIS agunt partes, refellere suis sermonibus student!

Ne tamen quis putet, eâ, quâ in philosophando alias esse solet, doctrinae et ingenii ubertate PLATONEM quaesivisse argumenta, ut aliis probaret, Deos esse. Ne quis acuta multa, nova ac sublimia hic a SOCRATIS quaerat discipulo. Firmiter ipsi de rei veritate erat persuasum: sed naturâ duce maxime se eo ferri patiebatur, ferri omnes voluit. Cogitavit certe et secum reputavit, rem esse arduam, periculi plenam: argumenta afferre, cur Dii sint; credentibus facile nota illa sufficere ad fidem firmandam, negantibus parum plerumque ad ἀπιστίαν radicitus evellendam. Novimus, quod Academicus Cotta Balbo objicit; quem cum Cotta multis, Deos esse, probare conatum audivisset, « affers" inquit, « haec omnia argumenta, cur Dii sint, remque meâ sententiâ minime dubiam, argumentando dubiam facis. — Non igitur adhuc, quantum quidem in te, Balbe, est, intelligo, Deos esse, quos equidem credo esse, sed nihil docent Stoici" (1).

(1) Cic. Nat. D. III. 4. 7.

Verum hîc dicat fortasse quis; mirum tamen accidit, quod non omnium primam agat PLATO de Diis quaestionem, utrum sint. Quid enim? Nisi hoc constet, nullus fere in philosophiâ Platonicâ locus constare potest. Si Deum ex eâ tollis, cadat necesse est tota ipsa. — At, qui ita loqueris, ne te idoneum putes PLATONIS interpretem; recentiorem nimis te philosophum exhibes. Quaeris namque e PLATONIS ingenuis dialogis, systema, quod vocamus, absolutum, et artis lege compositam philosophiae doctrinam. At frustra quaeris. Nae! inanem perdis laborem. Philosophatur PLATO, non docet. Datâ opportunitate, prout fert disputantium indoles, inquirit διαλεγόμενος, quid verum sit, nec curat, quâ ratione, quae singulis suis protulit dialogis, aptissime connectantur, ut totum unum conficiant cuncta. Uti in singulis quibusdam dialogis SOCRATEM et alios sic inducit res gravissimas perquirentes et investigantes, ut dicas subinde hac eum disquisitione contentum fuisse (1), ita quoque singulas doctrinas explicat. — Senex demum ultimis fere in scriptis rem datâ operâ tractat, id agens ut impios argumentando ad meliora convertat. In iis, quae juvenis scripsit, ubivis, Deos esse, sumit; nusquam fere illud probare suscipit.

At, ne disputando fines migrem hujus dissertationis, potius discendi cupidi ad ipsum accedamus philosophum; sic « ex PLATONIS quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.”

(1) v. HEUSDE, Initia. p. 52.

In Libro *Legum* decimo, ATHENIENSIS qui dicitur HOSPES (1), Crete cum CLINIA et cum Laecedaemonio MEGILLO, aestivo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Cnosiorum, et spatiis silvestribus crebro insistens, interdum acquiescens (2), inquirit, quâ ratione impiis ostendi possit, *ὡς θεοί τ' εἰσί καὶ ἀγαθοὶ, δίκην τιμῶντες διαφερόντως ἀνθρώπων* (3). Dicturus scilicet *περὶ ἀκολασίων καὶ ὕβρεως*, et primum quidem de iis, quae *εἰς ἱερὰ γίγνωνται*, quando quis *λόγῳ* aut *ἔργῳ περὶ θεοὺς ὑβρίζει*, tamquam ad *παραμύθιον* ad nostram accedit quaestionem.

« Nemo enim" — (ipsa jam vertendo reddam PLATONIS verba) « nemo, qui, uti leges jubent, Deos esse crediderit, impium quid (*ἀσεβὲς*) sponte sua perpetraverit, aut legi contraria verba dixerit. Verum hoc fit, quando quis vel, Deos esse, non credit, vel, etiamsi sint, eos non curare res humanas arbitratur, vel denique facile placari et sacrificiis precibusque flecti posse." — Illos itaque, *οἱ μὲν τὸ παράπαν θεοὺς οὐδαμῶς νομίζουσιν*, joco quodam in meliorum contemptum flagitantes fingit ATHENIENSIS HOSPES, ut, priusquam constituantur, quibus ob impietatem plectantur, poenae, ipsis persuadere conentur legumlatores ac docere, Deos esse; ita quidem, ut, *εἰ μὴ πολλῷ βελτίω τῶν ἄλλων* (poëtas dicit, vates, oratores, sacerdotes) *περὶ θεῶν ὡς εἰσί* loquantur, *ἀλλ' οὖν βελτίω γε πρὸς ἀλήθειαν* (4).

CLINIAS, ut solent disputandi artis imperiti nec-

(1) De eo vide in OBSERVAT. *nota* A.
(2) Cf. PLATO Leg. I. 625. A. CIC. Leg. I. 5.
(3) p. 887. A.
(4) p. 885.

dum adversariorum rationes experti et insidias levius de..re sibi minime dubiâ sentire, facile esse putat vere dicere, Deos esse. In Cretâ nimirum non agebantur omnes illae quaestiones. Res, quas omnium amplectebatur incorrupta fides, nec in dubium vocare, nec adeo quibuscunque tandem argumentis caute probare didicerant. CLINIAS igitur, « Quid enim?" inquit: *Πρῶτον μὲν γῆ καὶ ἥλιος ἄστρα τε τὰ ξύμπαντα καὶ τὰ τῶν ὡρῶν διακεκοσμημένα καλῶς οὕτως, ἐνιαυτοῖς τε καὶ μησὶ διειλημμένα, καὶ ὅτι πάντες Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι νομίζουσιν εἶναι θεούς.* Primum quidem terra, sol, et omnia astra, temporumque pulcre adeo instituta ratio annis atque mensibus distincta, hoc annuntiant, et, quod omnes Graeci pariter ac barbari, Deos esse, putant (1).

Non tamen statim haec pro argumentis validis habet HOSPES; immo se vereri dicit, ne prorsus haec contemnant impii; quippe qui non inconsiderate, ne scilicet timore Deorum angantur, ubi incontinenter voluptatibus indulgent, eos remotos esse volunt; sed, quibus erroris causa est, *ἀμαθία τις μάλα χαλεπὴ δοκοῦσα εἶναι μεγίστη φρόνησις* (2). « Feruntur enim, inquit, apud nos sermones, qui propter civitatis virtutem apud vos non audiuntur. Antiquissimi de Diis narrant: *ὡς γέγονεν ἡ πρώτη φύσις οὐρανοῦ τῶν τε ἄλλων, προϊόντες δὲ τῆς ἀρχῆς οὐ πολὺ θεογονίαν διεξέρχονται, γενόμενοι τε ὡς πρὸς ἀλλήλους ὡμίλησαν.*" Sic enim HESIODUS Deorum referens ortum

---

(1) p. 886. A.

(2) Nemini hic non in memoriam venit simile PAULI dictum ad *Rom.* I. 22.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ᾽· αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ᾽ εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ,
Ἀθανάτων οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου

et

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ,
Οὐρανὸν ἀστερόενθ᾽, ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι
Ὄφρ᾽ εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ (1).

Quid? quod ad versus alludit Aristophanis, quibus hic cosmogoniam, ab antiquis certe mutuatus exponit; in quibus haec (2):

Πρότερον δ᾽οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων, πρὶν Ἔρως ξυνέμιξεν ἅπαντα,
Ξυμμεμιγμένων δ᾽ ἑτέρων ἑτέροις γένετ᾽ οὐρανὸς ὠκεανός τε
Καὶ γῆ, πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον.

« Hae fabulae," sic pergit Atheniensis, « nec utiles ad Deorum cultum, nec verae videntur, sed, utpote antiquae, valeant! Magis nos teneant recentiorum, ex hisce orta, commenta. — Etenim, cum nos τεκμήρια proferimus ὡς εἰσὶ θεοί, haec ipsa, ἥλιον τε καὶ σελήνην καὶ ἄστρα καὶ γῆν ὡς θεοὺς καὶ θεῖα ὄντα, continuo σοφοὶ isti et ab iis corrupti juvenes, illa rejiciunt, ὡς γῆν τε καὶ λίθους ὄντα αὐτὰ καὶ οὐδὲν τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων φροντίζειν δυνάμενα (3).

(1) Leguntur in *Theog.* v. 116 seqq. 126 seqq.

(2) Cosmogoniae expositio invenitur in Avibus v. 694 seqq. Versus citati sunt 701 seqq. — Cf. Brucker *Hist. Phil.* II. 1. 1. Grot. *de Ver. Rel. Chr.* I. 16. *nota* 5.

(3) p. 886. B. C. D. Ipsius hanc Anaxagorae fuisse doctrinam refert apud Platonem in Apologia Socratis p. 26. C. Cf. Diog. Laert. II. 20. et Plato in Phaedone p. 97. seq.

Jam CLINIAS intelligit, quae ipse attulerit, argumenta non valere ut omnibus de re persuadeatur; χαλεπὸν esse HOSPITIS λόγον, eo magis quod plurimi dicant. Mutuo igitur consilio ad ampliorem sermonem se strenue accingunt. Praemonet autem ATHENIENSIS, mirandum, immo aegre esse ferendum, quod homines isti Deos esse negent. A pueris enim, inquit, dum lacte nutrirentur, illud audiverunt matribus nutricibusque decantatum; in sacrificiis praeterea ac precibus multa fieri cognoverunt dictis consentanea, cum parentes pro se liberisque viderent sacrificantes et supplices Deos orantes, utpote qui revera adessent; Graecos denique et Barbaros in variis fortunae casibus, tam adversis, quam secundis, quotidie ad solis vel ortum vel occasum Deos adorare intellexerunt, nullâ relictâ suspicione, ὡς οὐκ εἰσὶ θεοί. Oratione deinde ad juvenum istorum deceptorum unum conversâ « non tu solus," inquit, « hanc de Diis opinionem foves; semper plures paucioresve sunt, qui hoc morbo laborent; sed nemo profecto a juventute ad senectutem in eâ perstitit sententiâ, Deos non esse.' Melius aliquando et ipse senties; interea temerariam cohibe vocem, et a legumlatoribus maxime, quid censendum sit, sciscitare (1).

Illo igitur, quod CLINIAS ante ex omnium consensu petierat, argumento hic ipse utitur adversus impios HOSPES, ita tamen ut eo temerarium magis quam impium istorum errorem notet. Nec usquam alibi, Deos esse, ex hominum unanimi consensu diserte probat PLATO. Verebatur certe, ne, ubi ipse

(1) p. 886. E. — 888. D.

communem diceret assensum, confestim isti se nominarent, magnum dissentientium numerum. Tale quid Vellejo postea accidit, cui, cum egregie hoc argumenti genus exposuisset, haec objecit Cotta (1): « Quod enim omnium gentium generumque hominibus ita videretur, id satis magnum esse argumentum dixisti, cur, esse Deos, confiteremur. Quod cum leve per se, tum etiam falsum est. Primum enim unde notae tibi sunt opiniones nationum? Equidem arbitror, multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eos nulla suspicio Deorum sit. Quid? DIAGORAS, Atheos qui dictus est, posteaque THEODORUS, nonne aperte Deorum naturam sustulerunt?"

Me judice, eo, quod haec ipsis suis praemisit PLATO argumentis, haud obscure indicavit, eatenus e sua sententia, valere debere omnium, Deum esse, credentium testimonium, ut homines, antequam ipsi inquirendo rei veritatem experiantur, eam fide quadam, propter bonorum auctoritatem, amplectantur. Insani esse et inconsiderati a communi plurimorum deflectere opinione, et studiose potius dubitandi quaerere rationes, quam plerisque probis assensum, dein argumenta, cur Dii sint, ab iis petere.

Satis notum est, quantopere omni fere aetate, de hujus argumenti pretio fuerit disputatum. Inter Platonicos Philosophos, MAXIMUS praesertim ille TYRIUS, suo more illud adornavit, eique patrocinatus est. Paucis utar e multis eximiis. *Eἰ δὲ ἐξεγένοντο*, inquit, *ἐν τῷ ξύμπαντι αἰῶνι δύο που καὶ τρεῖς, ἄθεον, καὶ ταπεινὸν,*

(1) CIC. *Nat.* D. I. 23. VELLEJI et BALBI rationes legere licet I. 17. II. 2 seqq.

καὶ ἀναισθὲς γένος, καὶ πεπλανημένον μὲν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἐξηπατημένον δὲ ταῖς ἀκοαῖς, ἐκτετμημένον δὲ τὴν ψυχὴν, ἄλογον, καὶ ἄγονον, καὶ ἄκαρπον, ὡς ἄθυμος λέων, ὡς βοῦς ἄκερος, ὡς ὄρνις ἄπτερος, καὶ παρὰ τούτου ὅμως τοῦ γένους πεύσῃ τὸ θεῖον· ἴσασι γὰρ οὐχ ἑκόντες, καὶ λέγουσιν ἄκοντες. Quod si ab omni aevo duo aut tres exstiterint tam abjecti homines, ut sine Deo aberrarent; hominum genus sensibus privatum, quorum neque lucem certam oculi, neque certum sonitum aures admitterent, animo vero mutili, absque ratione sterile et inutile genus, ut si leonem sine irâ, bovem sine cornibus, avem sine alis dicas; vel ab his tamen aliquid de divinâ naturâ intelliges, nam et inviti hoc sciunt, et inviti dicunt." — Egregie quoque Cicero: « Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt; id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim et naturam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus effecit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est" (1). Sed redeamus ad Platonem.

Hisce igitur de constante Deorum opinione praemissis, aliam memorat Hospes Atheniensis de rerum ortu opinionem, quâ Dii tolli videntur. Λέγουσί πού

(1) Max. Tyr. verba sunt e *Diss.* XVII. 5. Cf. VIII. 4. Ciceronis locus est in Tusc. Q. I. 13. Qui Stoicorum velit et Epicureorum sententias, adeat Senecam Ep. CXVII. C. p. 655. Lips. et Lucret. L. V. 1152. seqq. Cf. T. Roorda de Anticip. L. Bat. 1823.

τινες ὡς πάντα ἐστὶ τὰ πράγματα γιγνόμενα καὶ γενόμενα καὶ γενησόμενα τὰ μὲν Φύσει, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ διὰ τύχην. Hi enim, dum quae facta sunt, fiunt quotidie, fientque in posterum, tribus istis adsignant causis, revera Deorum negant in rerum γενέσει operam et curam; quare ipsos Deos esse negant. Sententiam autem ipse pluribus explicat. Maxima videlicet et pulcherrima Φύσιν dicunt efficere et τύχην, minora vero τέχνην, quae naturae imitetur in majoribus ac prioribus generandis opificium. Itaque ignem, aquam, terram et aërem Φύσει εἶναι καὶ τύχῃ, et terram, solem, lunam atque astra ex his quatuor, anima prorsus carentibus, exstitisse; fortuitâ vero vi (τύχῃ) singula convenisse singulis, ita ut contraria commiscerentur, frigida calidis, et caetera similiter. Hac ratione mundum esse factum totum, et quaecunque mundus continet, οὐ διὰ νοῦν, Φασίν, οὐδὲ διά τινα θεὸν, οὐδὲ διὰ τέχνην, ἀλλὰ ὃ λέγομεν, Φύσει καὶ τύχῃ; artem autem, quae postea exstiterit, ipsam mortalem e mortalibus res genuisse non quidem veritatis prorsus participes, verum simulacra quaedam. Si quae vero artes serium quid efficiant, illas esse, quae τῇ Φύσει ἐκοίνωσαν τὴν δύναμιν, ut medicina, agricultura, gymnastica; τὴν δὲ νομοθεσίαν τέχνῃ prorsus convenire, cujus adeo θέσεις verae non sunt. Hac viâ procedentes θεοὺς εἶναι πρῶτόν Φασι οὗτοι τέχνῃ, οὐ Φύσει, ἀλλὰ τισι νόμοις, et has quidem leges aliis esse alias, prout inter legislatores convenerit; nec veras earum θέσεις, atque ergo nec Deos veros (1).

Quorumnam haec fuerit philosophorum sententia, definiri vix posse videtur. Multi memorantur, qui natu-

(1) p. 888. E. — 890. A.

ram (naturae nos dicimus vires), seu quatuor illa elementa rerum omnium dicerent causas. Ex Ionicis praesertim Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus hoc erant errore infecti (1). Deinde Parmenides (2); item et Empedocles, de quo Lucretius (3).

Adde etiam, qui conduplicant primordia rerum
Aëra jungentes igni, terramque liquori
Et quei quatuor ex rebus posse omnia rentur
Ex igni terrâ atque animâ procrescere et imbri,
Quorum Agragantinus inprimis Empedocles est.

Fortuitam vim sustinuisse videntur, quotquot jam antiquitas atomorum somniaverint concursum, Leucippus et Democritus (4). Verum horum nemini ipsa haec, quam exhibet Plato, sententia, tota jure merito tribui potest. Quapropter Platonem putem haec scribentem quorundam meminisse suae aetatis hominum, quos hanc fovere noverat sententiam, sive eorum nomina simul cum integra doctrinae notione nobis perierint, sive publice numquam eam fuerint professi. Potius ergo est, ut hic conjecturis amplius non indulgeamus, sed ad nostrum rever-

---

(1) V. Diog. L. II. 1. 3. 8. 16. Brucker P. II. L. II. C. 1. Anaxagoram Socrates in Phaedone p. 98. B. reprehendit, utpote ἀέρας καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον, καὶ ἄλλα πολλὰ ἄτοπα. Archelai hanc profert Diog. L. II. 16. sententiam: τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ. Non tamen ipsum hunc Socratis magistrum spectasse videtur Plato. Nam teste Diogene, ib. δύο αἰτίας εἶναι ἔλεγε γενέσεως, θερμὸν καὶ ψυχρὸν, et nusquam τύχη memoratur.

(2) Diog. L. XI. 21 seqq.

(3) I. 713. seqq.

(4) Diog. L. IX. 30. 44.

tamus Philosophum, eumque haec delirantium somnia refellentem audiamus.

« Videntur, inquit, Hospes Atheniensis, qui talia impia et noxia dicunt, ignem, terram, aërem et aquam omnium rerum πρῶτα ἡγεῖσθαι εἶναι, et haec ipsa φύσιν appellare, ψυχὴν δὲ ἐκ τούτων ὕστερον. — Insanae opinionis jam fontem cernimus uberrimum. Nam quod omnibus prima ortûs et interitûs est causa, hoc non primum, sed posterius exstitisse narrant. Hinc in vera Deorum natura errarunt. Animum enim, qualis sit, qualisque ejus in rerum ortu fuerit vis, quod omnia ante corpora exstitit, eorumque motûs et mutationis omnis est initium, ignorant ferme isti. Quae tamen cum ita sint, animo quae propria sunt δόξα, ἐπιμέλεια, νοῦς, τέχνη καὶ νόμος, iis, quae corpori conveniunt, priora fuerint necesse est. Quocirca magna et prima opera artis erunt, naturae vero opera et ipsa natura posteriore loco et artis ac mentis submissa imperio. Naturam autem isti male definiunt γένεσιν τὴν περὶ τὰ πρῶτα, nisi animum prius esse dicant (1). Scilicet nulla esse potest γένεσις absque motu, nec motus ullus absque animo (2).

Haec tamquam θέσις est, quam adversariorum objicit placitis, suaeque deinde argumentationi; quod Dii sint, subjicit. Non tamen multâ sine cautione rem aggreditur. « Ita agamus," — sic disputantes secum alloquitur senes, « quasi rapidum trajicere flumen oporteat. Ipse ego natu minor, multosque expertus fluctus, primus transitûs faciam periculum,

(1) p. 891. C. — 892. D.

(2) Cf. 894. A. B. et passim alibi in *Phaedro* et *Philebo* praesertim.

vobis in tuto relictis; ubi reperierim vobis quoque senioribus pervium esse, vos arcessam; sin minus, ipse solus periculum subierim. Itaque ego dux vester ero in arduis et vix vobis perviis orationis semitis et qui viam periclitetur, comes (3)."

Verum enim vero nobis non licet ubivis presso pede tres illos philosophantes sequi. Breves esse oportet. Quare sententiarum magis summam, quam ipsos disputantium referemus sermones. Legat PLATONEM, qui suavem velit illam dicendi copiam, quae in talibus etiam lectorem capit. Hae fere sunt disputantium ratiocinationes:

Rerum aliae *μένουσιν, ἑστήκασιν*; *κινοῦνται* aliae; fit motu *γένεσις*; quod *μένει*, est *ὄντως ὄν*. Est motus, qui alia movere potest, se ipse non potest; est vero etiam, qui se ipse pariter et alia movet. Hic primus est et omnis motûs initium. Si igitur cum nonnullis fingamus, omnia aliquando *ὁμοῦ γενόμενα* immota stetisse, primus eorum motus fuerit necesse est ille, qui se ipse movet. Hic item *ἐρρωμενεστάτη ἐστι καὶ διαφερόντως πρακτικὴ κινήσις*, quare optimus simul et antiquissimus dicatur. Ubi hunc inesse cernimus motum, ibi vitam adesse dicimus; quod vivit, animum continere censemus: est igitur animus idem ac primus ille motus, et *ἡ πρώτη γένεσις καὶ κινήσις τῶν τε ὄντων καὶ γεγονότων καὶ ἐσομένων καὶ πάντων αὖ τῶν ἐναντίων τούτοις*. Motus igitur, qui ab alio in alio fit, sed quo nihil se ipse movet, secundus est, vel certe primo posterior; et hic est corporis inanimi motus. Verissime propterea contendimus: *ψυχὴν μὲν προτέραν*

---

(3) p. 892. D. E.

γεγονέναι σώματος ἡμῖν, σῶμα δὲ δεύτερόν τε καὶ ὕστερον ψυχῆς ἀρχούσης ἀρχόμενον κατὰ φύσιν. Animi igitur facultates et opera corporis proprietatibus erunt antiquiora: quare bonorum, pravorum, pulcrorum, turpium causa est animus. — Animus porro, qui inest in singulis, rerum quoque universum regere debet; et quidem duo; alter εὐεργέτης, huic oppositus alter. Sic omnia, quae in coelo, terra, marive sunt, animus suis motibus ducit, qui cum mentem (νοῦν) semper divinam acceperit (1), ita ducit omnia, ut recta et felicia sint, contra vero cum dementiae (ἀνοίᾳ) sit cognatus. Videndum est idcirco, num animus ille, coeli terrae marisque potens, φρόνιμον quid sit atque ἀρετῆς πλῆρες. Quodsi omnis coeli et coelo comprehensorum motus ac circuitus mentis motui similis sit, patebit, optimum animum naturam regere. Rem ut rite conficiamus, ad imaginem respicere tutissimum erit. Cuinam igitur e decem motibus mentis motum similem dicemus? Illi sane, qui idem semper eodem in loco circa idem medium, eadem semper ratione fit, ceu sphaera aut circulus torno confectus (2). Qui contra numquam idem, nec eodem loco, alia semper ratione movet, amentiae est particeps. Jam facile omnes consentient, talem esse τὴν τοῦ οὐρανοῦ περιφορὰν, qualis ab animo instituatur omni virtute praedito sive uno sive pluribus. Hunc denique animum, quomodocunque tandem universa moveat, sive corpori insit, sive ipse corpus adeptus corpore corpus pellat, sive aliis

(1) Vide in Observat. *nota* B. quaedam de hoc loco.

(2) Cf. p. 893. D. E.

mirandis viribus polleat, *θεὸν ἡγεῖσθαι* omnes oportet. Idem censendum est, de sole, luna, astris, deque annis, mensibus, et omnibus tempestatibus. Quia animus seu animi virtute praediti horum omnium exstitere causae, illos animos Deos dicemus, atque igitur *θεῶν εἶναι πλήρη πάντα.*

« Jam hic," sic enim ait HOSPES ATHENIENSIS, « mittamus eos, qui Deos esse negarunt, hac conditione, ut, vel doceant nos errasse, cum animum dixerimus *γένεσιν ἁπάντων εἶναι πρώτην*, et quae deinceps attulimus, vel nobis fidem habeant, et in posterum ita vivant, ut omnes, qui Deos esse credunt (1)." CLINIAS sibi satisfecisse omnino HOSPITIS argumenta testatur: ad aliam igitur accedunt quaestionem. — Nobis autem aliquamdiu etiam nunc hisce immorari lubet.

Duo afferre PLATONEM, cur Dii sint, argumenta cognovimus; primum ex omnium hominum consensu petitur, e mundi motu alterum. De illo quaedam diximus; de hoc itaque paucis agendum est.

Tribus fere hisce illud continetur enuntiationibus:

Animus, utpote motûs initium, generationis omnis prima est causa:

Animus, generationis omnis prima causa, idemque mente ac virtute praeditus, Deus est:

Mundo et singulis ejus partibus inest talis animus:

Quare sponte sequitur, esse Deos.

Jam in promtu est, quare CLINIAE ex universi naturâ et ordinis ratione optimâ, Deos esse, concludenti objecerit HOSPES, impios hoc prorsus con-

(1) p. 893. C. — 899. E.

temnere, dum tamen ipse eâ quoque argumentatione utitur, ut mundi animo omnem tribuat virtutem. Scilicet multa erant praemittenda: animum corpore esse antiquiorem; motûs illum esse et generationis initium; mundo ut et soli ac caeteris corporibus coelestibus inesse talem animum. Ab his enim omnis demum pendet argumenti vis et veritas.

Diligenter autem reputantibus, quomodo tandem haec omnia argumentando probaverit PLATO, multa desiderari videantur, necesse est. Ut semper fere in philosophando, ita hic quoque animi humani explorandâ naturâ ad veri cognitionem unice se pervenire posse putavit; nec tamen satis hîc humana a divinis distinxit. Hominis animum in corpore omnigenos gignere motus ac mutationes observaverat; hinc tamen, cum animi divini in rerum generatione explicare vellet δύναμιν, accidit necessario, ut in graves incideret errores. Non enim hominis animus corpus, cui vitam alit, generavit etiam. Nec ideo, licet animus universe habeatur motus initium, continuo generationis quoque omnis est causa prima; nec, licet corpore moto animus movens prius fuerit necesse sit, corpore omni animus antiquior dici possit. Aliis indigemus hîc argumentis. Illud porro, quod omnium in hisce maximum est, mundo nimirum inesse talem animum, non satis probari a PLATONE videtur; cum denique eo, quod tum mundo, tum soli, lunae astrisque animos esse perhibet, innumeros fere primos motus, innumeras primas rerum causas adesse efficiat, atque, humanorum confusâ et divinorum animorum naturâ, tales

nobis praebeat Deos, quales veram divini numinis naturam non referunt.

Ne tamen in summum Philosophum simus duriores, quaedam animadvertere nos oportet, quibus ipsius argumento succurramus. Ubi enim consideramus, Deum, ut in *Timaeo* exponi post videbimus, materiam aeternam, motu incondito fluctuantem, novo et divino motu ita composuisse, ut corpora orirentur forma distincta, ubi haec, inquam, consideramus, non amplius motum primum immerito adeo cum generationis prima causa confundi queremur. Deinde, quod semper in PLATONIS dialogis attendere nos oportet, homines, ad quos oratio convertitur, non sunt illi discipuli, veri studiosissimi, quibuscum meliores suas de Deo sententias communicare studebat PLATO. Sunt illi vel philosophi, aut, si mavis, sophistae, vel de populo homines, in civitate Atheniensium viventes, quos eo tantum adducere volebat PLATO, ut Deos, quos Graeciae colere jubebant leges, revera esse crederent. Dummodo solem, lunam et caetera quos ipse in *Timaeo* γεννήτους dicit θεοὺς, a summo Deo creatos imperii ministros, Deos esse probasset, ipsi suisque via patebat haud difficilis, quâ ad veri Dei adscenderent notionem.

Licet igitur non omnis ita diluatur reprehensio, argumenti tamen ratio multis jam nominibus laudanda videtur. Hoc vero semper in illo vituperandum restat, quod minus populi captui fuerit accommodatum, vulgaremque haud dubie superaverit intellectum (1). Verum neque a PLATONE nimis multa

(1) Hoc nomine argumenti genus illud reprehendit quoque KANTIUS *in Vorles. uber die Philos. Rélig. Lehre* p. 27.

petere debemus. Si quid aliud, hoc grave semper fuit habitum, valida nec nimis recondita, cur Dii sint, dare argumenta. Et si quis recentiorum Philosophorum, varias et ex interiore metaphysica ductas cognoverit rationes, suas certe reddet PLATONI Graeco philosopho laudes.

Alia autem est viri eruditissimi TENNEMANNI (1) reprehensio. Hic, sumitur, inquit, a PLATONE, naturam tantum mente praeditam primam esse causam posse. Omnia vero bona a bona causa sive animo, mala a malo deducuntur. Malus autem animus nil est, nisi motus prorsus sine lege aut ratione agens; neque igitur animus solus primae causae naturam tenet. — Attamen, si juveni liceat de viro doctissimo judicium ferre, minus probanda videtur Philosophi Germani sententia. Quid enim? PLATO malum tantum memorat animum, ne hinc nova peteretur dubitandi ratio; ipse tamen paulo post ita explicat, quid de eo censendum sit, ut valde miremur, alia huc esse adducta, quae minime huc pertinent. Non enim docet revera duos tales esse animos, sed quaerit, utrum sint, et invenit duorum alterutrum regere rerum naturam; bonum, si omnia recte constituta sint, malum si contra; quare paucis intermissis ipse

(1) *System. der Plat. Philos.* III. 138. Haec sunt ipsius verba: «*Es wird vorausgesetzt dasz nur ein denkendes Wesen absolute Ursache sein könne. Nun wird aber alles Gute in der Welt aus einer und alles Böse wieder aus einer andern absoluten Ursache, oder wie sie* PLATO *nennt, Seele, abgeleitet. Die böse Seele ist aber nichts als die Bewegkraft, die blindlings ohne Vorstellungen wirket. Also musz man folgern, ist nicht die Seele das einzige Wesen mit einer absoluten Kaussalität, und die erste Voraussetzung ist falsch.*"

pronuntiat Atheniensis Hospes: δῆλον ὡς τὴν ἀρίστην ψυχὴν φατέον ἐπιμελεῖσθαι τοῦ κόσμου παντὸς καὶ ἄγειν αὐτὸν τὴν τοιαύτην ὁδὸν ἐκείνην (1). Quae Tennemann de malo animo habet, ea ex *Timaeo* seu potius ex ipsius opinione sunt desumta. Solet, quod dolendum est, saepius sic errare vir egregius, ut aliena, recentiora praesertim, immisceat. Arbitratur enim materiae, ut ajunt, vires ac motum incompositum, poëtarum more malum animum dici a Platone. Quod secus esse multis videtur. At vero, etiamsi haec ita essent, adversus Platonis tamen sententiam de animo, prima generationis omnis causa, nil valeret dicta Tennemanni animadversio.

Sed jam satis diu *interpretis* relicto munere, *censoris* et *judicis* egi partes; ut verear ne lectorem, Platonis audiendi cupidum, me prolixius disserente fastidium ceperit. Quare nil nobis potius esse duco, quam ex aliis rursus Dialogis referre, quae de nostro argumento disputantur.

In libro *Legum* ultimo quaerunt, quali mente esse debeant civitatis illi a se constituti φύλακες; et in universum constituit Hospes, eos optime intelligere debere, vera esse, quae leges jubeant, eaque sermone celebrare, factis exsequi oportere. « Horum autem optima fere sunt, » sic dicendo pergit, « quae de Diis disputavimus, num sint, qualisque eorum sit potestas; et quod deceat omnes, quantum quidem homini licet, eos cognoscere, praesertim vero civitatis nostrae custodes. Novimus itaque duo esse, cur

(1) p. 897. C.

credamus, quae de Diis exposuimus. Unum, quod de animo diximus: ὡς πρεσβύτατόν τε καὶ θειότατόν ἐστι πάντων ὧν κίνησις, γένεσιν παραλαβοῦσα, ἀέναον οὐσίαν ἐπόρισεν; alterum de motu, ὡς ἔχει τάξεως ἄστρων τε καὶ ὅσων ἄλλων ἐγκρατὴς νοῦς ἐστὶ τὸ πᾶν διακεκοσμηκώς. Male autem nonnulli arbitrantur, eos, qui astronomiae et reliquis hujus generis artibus operam dent, ἀθέους fieri, quippe qui, cum ad ea semper respiciant, quae necessitate fiunt, non mente et voluntate boni causa omnia perfecta esse censeant. Quod secus est nunc, et cum inanima illa coelestia corpora crederent. Quicunque enim diligentius ea considerarent, miracula intueri sibi videbantur, nec unquam, si animo et mente destituta essent, admirandis adeo rationibus moveri posse statuebant. Ausi sunt adeo et tunc nonnulli palam profiteri, ὡς νοῦς εἴη ὁ διακεκοσμηκὼς πάνθ' ὅσα κατ' οὐρανόν. Sed omnia hi rursus everterunt, quia animum corpore putabant juniorem. Nam omnia, quae sensibus percipiebant, corpora inanima, coelestibus illis ut rerum causas tribuebant. Hinc Poëtarum conviciis et irrisionibus lacessiti sunt Philosophi, qui talia inquirebant. Nunc vero non item fit. Nemo enim mortalium rite Deum colet, qui non acceperit primum, quod ad animum, ὡς ἔστι πρεσβύτατον ἁπάντων ὅσα γονῆς μετείληφεν ἀθάνατόν τε, ἄρχει τε δὴ σωμάτων πάντων, deinde quod saepius diximus ἐν τοῖς ἄστροις νοῦν vere inesse (1).

Hospitem haec loquentem induximus, non quod nova contineant ejus verba, sed quod egregie, quae

(1) Leg. XII. p. 966. B. — 967. E.

supra dicta sunt, his confirmantur et explicantur. Jam enim datâ operâ ad ipsam rerum naturam, qualem oculis cernimus, attendit magis auctor; ita ut hic quoque nonnullae afferantur rationes, quare soli, lunae, caeteris animos inesse crediderit. De Astronomis porro et omnibus omnino Physicis quod dicitur, illud e PLATONE audivisse juvat, quoniam nostrâ quoque aetate idem saepius in eorum vituperium pronuntiari scimus; scilicet, dum naturae diligenter sequantur vires, ipsum auctorem Deum eos negligere; quod tamen non ipsi scientiae, sed impiis vanisque hominibus est imputandum, qui profanâ mente magna et stupenda naturae intuentur miracula; qui incaute Ἐπόπται fieri ardent, cum antea Μύσται non fuerint.

In eo porro Dialogo, qui, ut est, ita dicitur *Epinomis* (1), HOSPES ἀναλαβών, quem adversus impios in *Legum* decimo habuerat sermonem, ita disserit, ut multa eaque haud spernenda dictis addat.

Maximum eorum, inquit, hoc erat, *ὅτι πρεσβύτερον εἴη ψυχὴ σώματος ἅπασα παντός· ὁ γὰρ ἄμεινον καὶ παλαιότερον καὶ θεοειδέστερον, πιθανὸν ὅτι τοῦ χείρονος καὶ νεωτέρου καὶ ἀτιμοτέρου, πανταχῇ τε ἄρχον ἀρχομένου πρεσβύτερον καὶ ἄγον ἀγομένου πάντῃ.* Quod enim melius, antiquius, divinius est, ipso deteriore, juniore, ignobiliore verosimiliter prius exstitit, et quod regit, subjecto, quod ducit, ducto antiquius est. Quae cum ita sint, *τό γε πρῶτον ἡμῖν τοῦ πρώτου τῆς γενέσεως πιθανώτερον ἂν εἴη σχεδὸν ὑπηργμένον· καὶ θῶμεν δὴ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς εὐσχημονέστερον ἔχειν, καὶ τῶν μεγίστων σοφίας*

(1) Num hoc genuinum sit PLATONIS scriptum, disputatur in OBSERV: *nota* C.

περὶ θεῶν γενέσεως· ὀρθότατα ἐπιβαίνειν ἡμᾶς; verosimilius etiam erit, illud, quod nos primum esse invenimus, primo in generatione initium dedisse; quare sumamus, initium hoc, illi, quod generationis initium est, natura sua praestare; et nos sic optima procedere viâ, qua ad maximae rei, Deorum scilicet generationis, notitiam perveniamus. — Haec pro viribus dicta sunto. — Age itaque; num animantis (*ζώου*) recte exprimimus naturam, quando animi corporisque coitu unam partam formam dicimus? — Recte sic definimus. — Corpora solida, e quibus omnia ab animo finguntur, quinque sunt: Ignis, Aqua, Aër, Terra et Aether. Ex his omnigena exstitere *ζῶα*; *νομίσαι δὲ δὴ δεῖ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν ταῦτα εἶναι ζώων γένη, ὃ δὴ πᾶν χρὴ φάναι θεῖον γένος ἄστρων γεγονέναι, σώματος μὲν τυχὸν καλλίστου, ψυχῆς δ' εὐδαιμονεστάτης τε καὶ ἀρίστης*. Haec ordine optimo moventur. Quod vero genus hoc *φρόνιμον* sit, hujus rei magnum est indicium, quod eadem semper loco et modo procedunt, agunt et patiuntur. Quando enim animus optimae mentis consilia init, nulla conversio fieri potest, sed adamante firmius manet et efficitur, quod proposuit. Hominibus adeo mentis in astris signum esse oportebat, quod eadem semper agunt, quia diu ante consulta agunt per immensum quantum tempus, nec consilium mutant, nec errant, aut deflectuntur a cursu. Quod porro animus iis inest, vel magnitudo testatur. Ecqua enim vis talem molem, qualis, ut hoc utar exemplo, solis est, tanto et eodem semper tempore circumagere possit? *Θεὸν δὴ φημι τὸν αἴτιον ἔσεσθαι, καὶ οὔποθ' ἑτέρως εἶναι δυνατόν· ἔμψυχον μὲν γὰρ οὔποτε γένοιτ' ἂν ἑτέρως πλὴν*

διὰ θεόν· et si hoc facere potuit Deus, multo facilius primum omni corpori vitam tribuere valuit, quo ζῶον fieret, dein, quo optimum ipsi videretur, ducere. Constat itaque, nec terram nec coelum ita ratione certa mensibus et diebus distinctum cursum peragere posse, nisi singulis animus insit; nec, animo demto, bonorum omnium, quae nobis contingunt, causa restat. Qui igitur impetus quosdam aut naturas rerum dixerit causas, nil certi proferet. Sed sumere debemus, quod ante memoravimus, τὸ πρῶτον μὲν τὰ ὄντα εἶναι δύο, τὸ μὲν ψυχήν, τὸ δὲ σῶμα. Ita autem a corpore differre animum, ut hunc ἔμφρον, ἄρχον, αἴτιον ἁπάντων dicamus, illud sit ἄφρον, ἀρχόμενον, ἀναίτιον πάσης πάθης. Quare insani est, coelestia ab alio quodam facta dicere, neque ea animi et corporis partum censere. Alterutrum enim statuere nos oportet, vel haec Deos ipsos esse, vel Deorum imagines ac quasi statuas, ab ipsis Diis fabricatas. Neque enim deteriores ea conficere potuere opifices" (1).

Hactenus Atheniensis Hospes. — Jam igitur, cur coelestibus corporibus animum inesse ac mentem putet, exposuit. Multum certe Platonis sententia eorum praestat inventis, qui impetui cuidam fortuito, aut incertae illi vi, quam naturam dicunt, omnium ortum ac motum tribuunt. Verum enim vero, quam levia ipsa etiam Platonis sint argumenta, quivis facile agnoscit. Egregie animadvertit et optime exposuit Philosophus ipsa corpora omnium illarum mutationum et motuum causas esse non posse;

(1) pag. 980. D. — 984. A.

sed mirum accidit, eum hic quoque perstitisse in opinione illa, quâ semel animos illos coelestes sibi effinxerat. Jam enim eo usque philosophando processerat optimi Philosophi ingenium, ut Deum invenisset animi ipsius originem atque auctorem. Dummodo Deum omnia per se solum agentem, nec divinis indigentem administris, mente comprehendisset, sponte sua graves, quibus etiam nunc adhaereret, errores agnovisset. Caeterum novâ prorsus ratione animum corpore esse antiquiorem efficit, haud ita, ut argumenti satis certi loco hanc habeat ratiocinationem; verumtamen eam censeat verisimilitudine sese commendare. Desideratur denique argumentum, cur Deus solus animum dare corpori valeat. Sed respexit fortasse PLATO ad alios sermones, quibus hoc probaverat, ad doctrinam, qualem in *Timaeo* exposuit, vel ad omnium hac in re consensum.

SOCRATES alibi cum PROTARCHO disputat de Summo Bono, utrum illud sit Voluptas an potius Sapientia, vel denique aliud quid. Constituunt, nec voluptate, nec una sapientia illud contineri. Quaerunt adeo, utra a Summo Bona propius absit, Voluptasne an Sapientia; quod tamen ita fit, ut in SOCRATE SOCRATEM amplius non agnoscas, prorsus vero PLATONEM audias. Orditur enim quaestionem Philosophus ampla dissertatione de finito, infinito, et mixto ex utroque rerum genere, quo tandem quartam inveniunt naturam, quae mixtionis illius causa sit. « A te enim quaero," inquit SOCRATES PROTARCHUM alloquens, « num omnia, quae fiant

διά τιν' αἰτίαν fieri censeas. Prot. Non certe absque hac fieri possunt. Socr. Ad quatuor igitur respiciamus genera: primum sit τὸ ἄπειρον; alterum τὸ πέρας; tertium vero natura (οὐσία), substantia ex his mixta et generata; quartum denique τὴν τῆς μίξεως καὶ γενέσεως αἰτίαν dico, τὸ ποιοῦν καὶ δημιουργὸν merito vocatum.

Sed quomodo tandem haec delapsi sumus? Si bene meminerim, quaerebamus, utrum Bono propius absit, Sapientiane an Voluptas. Attamen facile haec jam dirimi possunt. Omnes enim in eo consentiunt sapientes, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς. Num igitur nos, Protarche! mente illâ et sapientia quâdam admiranda, quae res componat, gubernari dicemus mundum, an contra vi quâdam rationis experte, et fortuita?

Prot. Quod tu dicis, impium est, Socrates. Nam mentem omnia regere et exornare suadet vel mundi, solis, lunae et universi aspectus.

Socr. Me igitur sequare. Quatuor illa, aërem dico, ignem, caetera, quae animantium corporum φύσιν constituunt, in rerum universo quoque inesse cernimus. Apud nos autem horum vile quid et debile tantum reperitur, sed in universo multitudine et pulcritudine ea sunt spectanda.

Prot. Vera profecto narras.

Socr. Quid igitur? Num ignis ille, ut hoc utar exemplo, qui universo inest, alitur, fit et ducitur ab igne, qui penes nos est, an contra mei, tuique corporis ignis ab illo?

Prot. Ne responso quidem hoc dignum est.

Socr. Ab illo igitur corpore omnia mutuatur

nostrum corpus. Hoc autem animum habet. At, unde nam illum accepisset, censendum est corpus, *εἴπερ μὴ τό γε τοῦ παντὸς σῶμα ἔμψυχον ὂν ἐτύγχανε*;

PROT. Patet aliunde animum accipere non potuisse.

SOCR. Numquam enim dabimus, e quatuor illis, infinito scilicet, finito, mixto, et causae genere, hoc quartum, quippe quod nobis animum indit, omnem omnino sapientiam dici; cum vero eadem et multo meliora in coelo universo insint, in his illud causae genus pulcherrimorum ac praestantiorum non elaborare naturam.

PROT. Nulla profecto foret ratio.

SOCR. Jam igitur certius affirmamus in universâ rerum naturâ inesse *ἄπειρον πολὺ καὶ πέρας ἱκανὸν, καί τιν' ἐπ' αὐτοῖς αἰτίαν οὐ φαύλην, κοσμοῦσαν καὶ συντάττουσαν ἐνιαυτούς τε καὶ ὥρας καὶ μῆνας, σοφίαν καὶ νοῦν λεγομένην δικαιότατ' ἄν.* Sapientia porro ac mens absque animo non sunt. Quare *ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἐρεῖς φύσει βασιλικὴν μὲν ψυχὴν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν, ἐν δὲ ἄλλοις ἄλλα καλὰ, καθότι φίλον ἑκάστοις λέγεσθαι.*

PROT. Et recte quidam.

SOCR. Eo itaque tendit hic noster sermo, ut iis nos socios daremus, qui Mentem semper omnia regere perhibent. Et quod quaesivimus, jam invenimus, *ὅτι νοῦς ἐστὶ γένους τοῦ πάντων αἰτίου λεχθέντος τῶν τεττάρων, ὧν ἦν ἡμῖν ἓν τοῦτο.* Jam igitur in eo sumus, ut investigemus, quid sit Voluptas, quid vero Sapientia, *ἐν ᾧ τε ἐστὶν ἑκάτερον αὐτοῖν καὶ διὰ τί πάθος γίγνεσθον, ὁπόταν γίγνησθον*" (1).

---

(1) Phileb. p. 26. E. — 31. B.

Nos autem hic deserere disputantes cogit instituti nostri ratio. Verbo tamen lectorem sermonis exitum scire cupientem, edocere liceat, communi tandem SOCRATIS et PROTARCHI assensu, ipsam Pulcritudinem, Consensum et Veritatem, unâ quantum possit ideâ concepta, Bonum dici (1). Secundum ab hoc locum τῷ συμμετρῷ, καλῷ, τελεῷ, quaeque hujus generis plura sunt, concedere jubent. Tertio νοῦν καὶ φρόνησιν memorant. Huic deinde postponunt τὰ τῆς ψυχῆς αὐτῆς, intelligentiam, artes, opiniones veras. Tum demum ἡδονὰς ἀλύπους recensent.

Ex his omnibus quid duci possit ad Boni, Finiti, Infiniti naturam explicandam, aliis relinquimus. Nos vero animadvertamus ex his et multa illustrari, quae per totam hanc disquisitionem e PLATONE attulimus et novam iis contineri, cur Dii sint, argumentationem.

Non quod contendere velim, id jam agere SOCRATEM, ut Deum esse probet; verum cum mentem omnia regentem et exornantem causam esse demonstraverit, quae in rerum naturâ finitam miscuerit infinito, nostrasque adeo mentes, utpote hujus generi cognatas, a bono propius abesse, illud eum effecisse ex supra memoratis discimus, quod efficere debet, qui Deos esse probare sustineat.

Multa tamen in hac SOCRATIS cum PROTARCHO disputatione occurrunt, quae illustratione indigent, et ulteriore adeo examine digna sunt.

Quo magis dialogi *Philebi* reputo consilium, quo

---

(1) p. 65. A.; seu, ut p. 66. A. dicitur, ἡ ἀΐδιος περὶ μέτρον, κ. τ. λ. φύσις. Caeterum vox *Consensus* exprimit Graecum συμμετρίαν, quod optime ita vertere videtur VITRUVIUS. L. I. 1.

diligentius considero, quid sibi voluerit SOCRATES de finito illo, infinito et causae genere sermonem instituens, eo minus eorum placet sententia, qui hic enim de materiâ illâ aeternâ, rerum formis, et Deo mundi opifice agere existimant. Si quid video, in universum de ipso finito, infinito, causâ, sive de finiti, infiniti, causae Ideâ sermo est. Hoc sensu enim, ubi de voluptate loquitur SOCRATES, quaerit, num ejus natura ad ἄπειρον accedat, an potius ad πέρας sit referendum. Tum demum cum mentis exploraturus naturam, summae divinae mentis exponit indolem, de finito, infinito et causae genere in rebus creatis disserit. Tacite itaque transitum parat; dein vero generatim rursus loquitur, et ad ipsum finitum, caetera respicit.

Quod hinc petimus, cur Dii sint, argumentum, hoc fere modo sese habet: « rerum naturam mente regi et providâ curâ gubernari, ejus indoles atque ordinis ratio docet; est igitur mens illa βασιλικὴ omnium rerum αἴτια. Corpus autem nostrum omnia sua a mundi habet corpore; animum itaque, quem continet, a mundi certe mutuatum est animo; quapropter statuendum est, Mentem illam divinam rerum causam mundo indidisse animum." Hinc adeo efficitur, quod SOCRATES intuetur, nos negligimus: « mens omnis, tam mundi quam hominis, a Deo profecta est; genere igitur cum summa rerum causa est conjuncta. Post JOVEM propterea, cui regius est animus ob causae vim, animi collocentur caeteri, tum mundi, tum hominum."

Ad coelestium corporum motum et ordinem optimis legibus constitutum, saepius provocare PLA-

TONEM novimus, et jure eum huic fere argumento, cum optimis quibuscunque Philosophis, palmam tribuere, nemo infitias ibit. At vero ratio illa, quâ hîc mundo inesse animum probat, ut nova prorsus et inaudita auribus accidit, ita multis nominibus reprehendenda videtur. Quid enim? Etiamsi illud, quod sumitur, corpora hisce in terris sua habere a corpore mundi, jure sumeretur, utpote omnium consensu satis firmatum, hinc tamen nullo modo effici possit, animi quoque nostri eandem esse originem; nec enim ipse PLATO alibi tantâ necessitudine utramque animantis naturam connectit. Rem ipsam autem datâ opera PLATONIS explicat TIMAEUS, qui in cognomine Dialogo, Deum inducit ex mundi animi, quae supererant, elementis, animos fingentem reliquos; Dii vero juniores, ipsius in rebus creandis adjutores, corpora ut fabricarentur mortalia, ab universo mutuati dicuntur aëris, aquae, ignis, terrae particulas (1); quod passim alibi docemur, ut in *Protagora* (2).

PROTAGORAM dum dico, in Sophistae illius, a quo nomen dialogus habet, fabulam incidi, quâ EPIMETHEI et PROMETHEI celebravit in humani animi facultatibus distribuendis operam. Ut solent, quibus ὁ ἐρῶν forte occurrat, ipsi adhaerere, caetera omnia negligere, hunc unum cogitare, ita mihi nunc accidit; adeo allicuit PROTAGORAE illa, quam ipsi egregie hîc tribuit PLATO, grandisona sermonis fa-

(1) p. 320. D.

(2) Vid. TIM. p. 41. D. et 42. E. — Caeterum de ipso argumento quaedam habet TENNEMANN. *System.* II. pag. 139 seqq. qui tamen caute est audiendus.

cundia, ut invitus legere perrexerim. Et ecce novum offendi locum, qui maximi est in nostra quaestione momenti.

Cum enim VULCANO et MINERVAE furto ablata a PROMETHEO memoravit ignem et sapientiam, hominibus deinde concessam, haec addit PROTAGORAS: « ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας, πρῶτον μὲν διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν ζώων μόνον θεοὺς ἐνόμισε, καὶ ἐπεχείρει βωμούς τε ἱδρύεσθαι καὶ ἀγάλματα θεῶν (1). Quoniam divinae sortis homo est particeps, primum quidem propter hanc cum Deo cognationem, ipse ex omnibus animantibus unus; Deos esse, censuit, iisque aras ac statuas erigere coepit."

Ex cognationis adeo sensu omnium communem explicat de Diis, quod sint, opinionem. Quae verissima simul ac vere sublimis sententia, quamquam fabulosis multis ut fuco hic ornata, adeo tamen PLATONIS inhaesit menti, ut ad juvenem, qui Deos esse credebat, eos vero res humanas curare negabat, haec aliquando dixerit: « ὦ ἄριστε, ὅτι μὲν ἡγεῖ θεοὺς, συγγένειά τις ἴσως σε θεία πρὸς τὸ ξύμφυτον ἄγει τιμᾶν καὶ νομίζειν εἶναι. Quod quidem Deos esse credis, mi bone! hujus rei causa in eo fortasse est, quod cognationis quidam cum Deo sensus te impellit, ut illud, quod cognatum est, celebres, et esse putes (2)."

Hujus συγγενείας ratio quoque habetur in nobili illa ac pulcherrima animi descriptione, quam SOCRATES in decimo *de Republica* libro GLAUCONI dat juveni amico. Haud adeo gravi crimini mihi vertent lectores, opinor, si totum locum latino hic

---

(1) p. 322. A.

(2) LEG. X. p. 899. D.

sermone referam; est enim HEUSDII vir. clar. quam exhibeo, interpretatio. Haec itaque SOCRATES, « Animus qualis sit, si cognoscere velimus, haud eum intueri oportet pollutum inquinatumque corporis communione, et caeteris malis; sed, ut naturâ se habet, purum et sincerum, talem nos decet eum discernere ratione et perspicere. Qui GLAUCUM marinum vident, haud possunt illi ex praesente specie antiquam ejus naturam assequi: nam corporis partes aliae sunt fractae, aliae contritae, cunctae undis fluctibusque corruptae: adhaerescunt item aliena illis, conchylia, alga, lapides, quo fit, ut cuivis ferae, quam sibimetipsi similior sit. Οὕτω καὶ τὴν ψυχὴν ἡμεῖς θεώμεθα διακειμένην ὑπὸ μυρίων κακῶν. Pari et nos conditione animum nunc conspicimus, infinitis affectum malis. Sed illuc, o GLAUCO, oculos convertere debemus. Insitum animo studium, insita nobis spectanda est ejus philosophia. Animadvertere oportet, quae expetat, quae amplectatur, quibuscum jungi gestiat, ut divino et immortali et sempiterno cognatus, et qualis aliquando fieret, si totus omnique nisu illa persequeretur et hoc impetu e mari emergeret, in quo nunc agitatur, excussis lapidibus et conchyliis, quae nunc ei, quippe terrenis nutrito rebus, terrena et petrosa et agrestia circumcirca inhaerescunt, aut propter beatas quae dicuntur, epulationes. Tum demum quis cernat veram ejus naturam (1)."

Cum hisce arcte cohaeret late patens in PLATONIS philosophiâ locus, qui est de animorum, priusquam in terras migrarint, conditione beatâ, quam praeci-

(1) v. HEUSDE *Init.* pag. 84 seqq. locus est in X Rep. p. 611. B. C. D.

que illustrat summus Philosophus egregio illo in *Phaedro* μυθῷ, pariter illo sensûs gravitate atque orationis poëticae colore decoro, quo animi equorum alatorum comparati jugis, quos gubernat ac moderatur auriga, finguntur αὐτὸ τὸ ὄν in coeli vertice spectare tentantes. De hac quoque animorum anteacta vita ultimo illo in carcere die multa, eaque egregia dixit SOCRATES, ut auctor est in *Phaedone* (1) PLATO, ubi inter alia haec leguntur: τῷ μὲν θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ κατὰ ταῦτα ἔχοντι ἑαυτῷ, ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν (2). Addere etiam licet, quae TIMAEUS, in cognomine dialogo, de animi ortu refert, ut intelligatur, quatenus τῷ θεῷ sit συγγενὴς animus humanus.

Jam illud, his attigisse videmur argumentum, quod ipsi PLATONI omnium longe plurimi habebatur pretii. Philosophi certe in animo incorruptus et invictus vigebat et valebat ille cognationis cum Deo Optimo Maximo sensus, et prae caeteris omnibus hoc certe maximum ei, cur Dii sint, fuit argumentum. Nobis etiamnunc huic omnia cedunt, quotquot variae aetatis philosophi unquam proposuerint, et ideo KANTII illud, morale quod dicitur argumentum, multis semper nominibus laudandum nobis videtur, quod huic ipsi συγγενείας innititur sensui. Non tamen quod velim, adversus impios quidquam valere tales e sensu quodam ductas rationes. Negant continuo isti, talem sibi inesse sensum; et recte negant: nam depravatum et ad scelesta quaeque praecipitem animum, meliores ac diviniores fugiunt sensus.

(1) p. 73—77.
(2) p. 80. A.

Sed qui omnibus omnino hominibus tales denegent, illi hoc tantum produnt, se ignorare humani animi vere divinam naturam. Recte igitur rem ipsam perspexit PLATO, qui ab hoc argumento abstinuerit, ubi cum impiis sermo sibi esset institutus; rectissime vero idem, cum eâ, quâ est, animi humani cognitione, ei inhaerere cognovisset talem cognationis cum Deo sensum ineffabilem, in eo firmissimum invenit, cur Dii sint, argumentum. Quidquid enim dicant, qui sensuum talium fallacitatem urgent, sunt omnino quidam fallere nescii, quorum fons et origo in ipsius animi reperitur conscientiâ sui. Hisce autem jure merito annumeratur clara illa naturae vox, intima illa mentis persuasio, scilicet nos Deo Optimo Maximo esse cognatos, animos nostros divinae esse particulas aurae; nos eâ, quâ caeteris praestamus animantibus, mente et ratione ad divini Numinis maxime accedere coelestem οὐσίαν.

Nos itaqne etiamnunc summo philosopho PLATONI plurimum nos debere sentimus, qui tale celebraverit ipsius animi, cur Dii sint, testimonium omni fide dignum. Nam etsi alio sensu quodammodo a nostris Philosophis hominum dicitur cum Deo cognatio, manet tamen necessitudinis cum divinâ naturâ notio, illiusque sensus certissime adeo vel nobis etiam, Deum esse, probare videtur, ut, dummodo adjungas illud, quod ex universi naturâ, ordine, consilio petitur argumentum, caeteris omnibus facile careamus.

Omnes jam a me commemoratas arbitror PLATONIS sententias, quae eo diserte tendant, ut, Deos esse, quibuscunque tandem modis efficiat Philoso-

phus. Si tamen hic omissa quaedam reperiat lector, juveni ignoscat, precor, parum, ut solet, perspicaci; quemque saepe, dum Philosophiae, Platonicae praesertim, peragrat amoenissimos tractus, ita rerum copia et varietas tenet, ut multa oculos mentemque non accurate animadversa fugiant.

Confecimus itaque pro viribus hanc primam qualemcunque disputationem, et vidimus, quibusnam argumentis, Deos esse, probaverit PLATO. Haec adeo mittimus. Cum vero in antecedentibus ubivis Dei definitionem causae notione contineri a PLATONE animadvertimus, jam inquirere lubet, quo tandem sensu *Deum rerum omnium Auctorem* dixerit Philosophus.

PLATO inducit TIMAEUM, Locris oriundum, summum Philosophum, Astronomiae peritissimum, eundemque in rerum naturâ scrutandâ versatissimum (1), doctâ et uberrimâ oratione, coram SOCRATE et CLINIA, de universi ortu et fabricâ agentem. Hujus itaque ante omnia legere oportet disputationem, et dialogi argumentum, quantum quidem ad nostram pertineat quaestionem, hic referre. Quod tamen leve non est. Jam TULLII celebratum est dictum (2) « Interdum rerum obscuritas facit, ut non intelligatur oratio, qualis est in TIMAEO PLATONIS." Difficile est integras reddere et puras Philosophi sententias. Ubi enim haud plene

(1) TIM. p. 20. A. 27. A.

(2) CIC. *de Fin.* II. 5. Cf. BORGER, *Op. Theol. Soc. Teyl.* XVI. p. 149. *nota.*

eas perspicias, opus est cautione multa, ne aliena, recentiora maxime, immisceas; quo tamen semel facto, ad omnes facile componas novae Philosophiae doctrinas Graecum illum Philosophum, a quo, cum neminem suo in genere parem sibi habuerit, omnis fere aetas varia mutuata est. Adeo porro in hoc Dialogo Pythagoreorum se praebet discipulum PLATO, ut mireris fere, quod TIMAEO SOCRATEM dederit auditorem. Verum ne ad difficultates nimis attendamus. In brevi nostra expositione, multa silentio premere licet, utpote minoris ad nostrum consilium momenti. Dein subit illud: in magnis voluisse sat est. Juvenis est virium facere periculum; et juvenilia tantum a juvene quaeruntur.

Hac fere ratione disserit TIMAEUS:

« Est, ut opinor, initio distinguendum, quid sit (*τὸ ὂν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον*), et quid fiat (*τὸ γιγνόμενον μὲν ἀεὶ, ὂν δὲ οὐδέποτε·*). Illud mente cum ratione est percipiendum; est enim semper idem: hoc vero opinione cum sensu rationis experte; est enim creatum et interit. — Omne quod fit, necesse est, *ὑπ' αἰτίου τινὸς* fiat; *παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν*. Quando autem *ὁ Δημιουργὸς* in rerum creatione, *παραδείγματι* quodam usus tali, quod semper idem est, hujus ideam generando effert, omnia certe pulcra evadunt; sin contra generatum intuitus sit *παράδειγμα*, turpia; quocirca de hoc rerum universo (sive *οὐρανὸν* illud, sive *κόσμον* nominare velis) primum quaerendum est, fueritne semper, an factum sit. Mundus autem sensibus prehenditur, corpus habet; est itaque *γιγνόμενον·* ipsius autem opifex et pater (*ποιητὴς καὶ πατήρ*) vix inveniri, om-

nibus manifestari non potest. Deinde attendamus, quale fuerit, quod imitatus est, παράδειγμα. Mundus omnium, quae creata sunt, est opus pulcherrimum; auctor, causa optima; respexit igitur procul dubio ad aeternum illud, quod semper idem est (1).

At vero, cur tandem hoc universum creavit ille auctor? — Ἀγαθὸς ἦν· ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. Ab hac invidiâ prorsus alienus omnia esse voluit παραπλήσια ἑαυτῷ, sibi simillima (2).

Quoties haec lego, commotus fit animus; identidem optimi Philosophi amore magis efferor, et admiratione summa correptus, quaero, quousque tandem acutum hominis pii ingenium procedere valeat! — Talem qui agnoverit in Deo creandi causam, talem perfecti amorem, universi salutis tale tantumque studium, hic certe omnibus omnino antiquis Philosophis longe major dignissimusque fuit, cui divini fere honores antiquitus concederentur; hic etiamnunc omnium bonorum sibi conciliet amorem; hunc laudibus, veneratione et gratiis summis prosequantur omnes, quibus veritas et inculpata pietas curae cordique sunt. Utinam omnibus hominibus contingeret, quod mihi contigisse ante omnia fere laetor, divina Platonis legere scripta. Talem veri luminis scintillam densas plerumque tenebras penetrantem animadvertentes, veritatis vim divinam animo pio omnes adorarent, et Deo optimo gratias agere non desisterent, quod nobis jam tenebras fere omnes removerit, ipsiusque veri scien-

(1) p. 27. E. — 29. B.
(2) p. 29. E.

tiam concesserit pleniorem, qualis demum mentem divinae suae naturae, verique vitae consilii consciam reddidit. — At nimis nos aberrare sentio. Exponere tantum *Timaei* argumentum voluimus; PLATONIS evasimus laudatores. — Eo redeamus, unde profecti sumus.

Deus igitur, cum omnia bona esse vellet, *οὕτω δὴ πᾶν, ὅσον ἦν ὁρατὸν, παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως*, in ordinem molem illam incongestam redegit, et incompositos motus composuit, corporique animum, animo mentem indidit; quo mundus Dei providâ curâ exstitit *ζῶον ἔμψυχον ἔννουν τε.*

Unus est et erit mundus. Nam unius animantis *νοητοῦ* simulacrum est, et omnem materiam in se comprehendit. Mutuo nexu omnem ignem, aquam, terram et aërem connexuit in corpore Deus, ita ut nemo, nisi qui connexuit, solvere ea possit, nec morbus aut senectus illi noceat. Omnia porro perfecta in corpore congessit; formam dedit sphaericam, *αὔταρκες* sibi reddidit, circuli motu moveri jussit, animum *διὰ παντὸς ἔτεινε· διὰ πάντα δὴ ταῦτα εὐδαίμονα θεὸν αὐτὸν ἐγεννήσατο* (1).

Enarrat deinde animi mundi fabricam et compositionem; undenam exstiterit; qua arte, quo consilio ita factus sit; ut testem fere audire videaris, qui summo Numini affuerit, cum eum generaret. Est vero enarratio illa maximi momenti in PLATONIS Philosophia de animi praesertim indole, affectibus. Nobis tamen minus ad quaestionem prodest, estque adeo

(1) p. 30. A. — 34. E.

ampla et vero etiam obscura, ut potius habeamus illa omnia silentio premere. Infra nonnulla explicabimus, ubi data opera de animi ortu erit agendum. Jam ad sequentia properamus.

Ut pater ille, qui creaverat, moveri et vivere cernebat hoc divinae aeternaeque naturae creatum simulacrum (τῶν ἀϊδίων θεῶν γεγονὸς ἄγαλμα), laetatus est, et quo exemplari similius etiam foret, mundum quoque, quantum quidem fieri posset, aeternam (ἀΐδιον) reddere voluit. At, quoniam genitus erat, hoc ab omni parte ipsi concedi non poterat; quare mobilem quandam aeternitatis imaginem excogitavit. Aeternitatem adeo expressit aeternâ in uno spatio numerorum progressione, quam nos Tempus dicimus: μένοντος αἰῶνος ἐν ἑνὶ κατ' ἀριθμὸν ἰοῦσαν αἰώνιον εἰκόνα, τοῦτον ὃν δὴ χρόνον ὠνομάκαμεν. Tempus simul cum coelo exstitit. Nam solis, lunae, stellarum errantium motus tempus ejusque dimensiones constituunt. Hanc ob rem simul quoque peribunt, si tamen aliquando peribunt; atque, ut exemplar, cujus naturam Deus in universo expressit, per omnem aeternitatem est, sic mundus per omne tempus fuit, est et erit (1).

Desiderabantur vero etiamnunc varia animantium genera: quapropter Deus ad ideas, quas mens ejus divina in ζώῳ illo νοητῷ inesse cernebat, quatuor eorum genera composuit, genus Deorum coeleste (οὐράνιον θεῶν γένος), avium, piscium et animalium terrestrium genus. Coelestia maxime confecit, formâ rotunda, perque totum coeli ambitum ea distribuit. Hujus generis sunt astra erroris expertia, fixa, ζῶα θεῖα

(1) p. 37. C. — 38. C.

ὄντα καὶ ἀΐδια; porro Terra nostra, quae diei noctisque custos exstitit, πρώτη καὶ πρεσβυτάτη θεῶν, ὅσοι ἐντὸς οὐρανοῦ γεγόνασι. De caeteris autem Diis, eorumque ortu dicere, pro viribus nimium est: sed fides est habenda priscis viris, qui de illis narrarunt. Sunt enim Deorum proles, ut ipsi ajunt; et Deorum liberis fidem negare, etiamsi non verosimilia et praeter rationem sint, quae dicunt, absonum foret. Terrae itaque e Coelo conceptu Oceanum et Tethyn generatos dicunt; ex his Phorcyn, Cronum, Rheam, caeteros (1).

Quando igitur omnes hi Dii creati erant, tum ad eos Deus, qui omnia genuit, haec locutus est: « Dii satu divino prognati! Opera, quorum ego effector et parens sum, utpote per me facta mea voluntate dissoluta non sunt. Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis: neutiquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis fata periment; nam mea voluntas majus vobis est ad vitam vinculum, quam illa, quibus nativitate estis colligati. Meam igitur sententiam cognoscite. Tria nobis mortalia genera animantium nondum nata sunt; quae si a me vitam sortiantur, Diis adaequabuntur. Ut igitur hoc universum omnia complectatur, et tamen mortalia sint, vos pro natura vestra suscipite, ut illa gignatis, imitemini que vim meam, quâ in vestrum generatione me usum esse meministis. Quidquid in iis divinum, imperans, inesse debet, quo immortalium Deorum quasi gentiles sint, hoc ipse iis tradam. Vos autem ad id, quod erit immortale

(1) p. 39. E. — 40. E.

partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes, quos et vivos alatis et consumtos sinu recipiatis."

Haec ille dixit. Deinde superioris permixtionis, quâ animum universae naturae temperans permiscuerat, reliquias effudit, eadem ferme ratione eas miscens, nisi quod non ita incorruptas sumebat. Sideribus porro animos distribuit, et ita quasi in currum impositis universi naturam commonstravit legesque fatales; unum scilicet fore omnibus ortum, sed aliquando illud nasciturum animal, quod ad Deorum cultum aptissimum esset, et generis quidem humani partem meliorem, *ὃ καὶ ἔπειτα κεκλήσοιτο ἀνήρ*. Vitae deinde rationem et varias sortes iis pandit, *ἵνα τῆς ἔπειτα εἴη κακίας ἑκάστων ἀναίτιος*; quo facto alios in terrâ, alios in luna, alios in reliquas mundi partes spargens, quasi serebat. Diis tandem junioribus tradidit corpora effingere mortalia et quidquid humano animo accedere deberet, hoc absolvere, *καὶ κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα τὸ θνητὸν διακυβερνᾷν ζῶον, ὅ τι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ γίγνοιτο αἴτιον* (1).

Multis hîc PLATO exponit, quomodo summi Patris filii divini munere sibi injuncto functi sint, quamque mirificâ et stupendâ arte corpus humanum ad omnes in vita usus animique ministeria fuerit fabricatum. Haec ampla oratio ita est composita, ut fere nescias, utrum magis mireris, viri, quam Diis tribuit, sapientiam mentisque acumen, an ipsius in talibus exponendis dicendi copiam et facundiam. Saepe tamen nimia audet, altius abscondita naturae miracula penetrare tentans, quo fit, ut obscuriora subinde

(1) pag. 41. A. — 42. E.

quam vero similiora prodat. — Nostra consilii ratio haec omittere suadet.

Dii autem, (sic pergit deinde TIMAEUS), ministerio usi sunt *τῶν ξυναιτίων*. Sed existimant plerique, haec non *ξυναίτια, ἀλλ' αἴτια εἶναι τῶν πάντων*, haec nempe, quae vim habent frigoris et caloris, concretionis et liquoris, carent autem omni intelligentia atque ratione: quae, nisi in animo, nulla alia in natura reperiuntur. Animus autem sensum omnem effugit oculorum. At ignis et aqua et terra et aër corpora sunt. — Sed prudentem decet virum *τὰς τῆς ἔμφρονος φύσεως αἰτίας πρώτας μεταδιώκειν, ὅσαι δὲ ὑπ' ἄλλων μὲν κινουμένων, ἕτερα δ' ἐξ ἀνάγκης κινούντων γίγνονται, δευτέρας* (1). Hactenus igitur cum mentis fere opera commemoraverimus, jam de iis dicere oportet, quae per necessitatem facta sunt. *Μεμιγμένη γὰρ οὖν ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννήθη.* Hanc rerum causam, ut probe noscamus, ab initio rursus est incipiendum; *τὴν δὴ πρὸ τῆς οὐρανοῦ γενέσεως πυρὸς ὕδατός τε καὶ ἀέρος καὶ γῆς φύσιν θεατέον αὐτὴν καὶ τὰ πρὸ τούτου πάθη* (2).

Antea duo rerum genera animadvertebamus, *παράδειγμα* illud *νοητὸν καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν*, atque *μίμημα παραδείγματος*, genitum sensibusque percipiendum. Jam vero addamus tertium, *χαλεπὸν καὶ ἀμυδρὸν εἶδος*! quod *πάσης γενέσεως ὑποδοχὴν οἷον τιθήνην* vocare licet. Elementa enim, qualia nos terram,

---

(1) p. 46. D. Huc usque CICERONIS versio extat; quam nos quoque subinde secuti sumus, nisi ubi nimis esset obscura. Hoc enim vitio saepius laborat. Jam HIERONYMUS dixit: « *obscurissimus Platonis Timaeus ne Ciceronis quidem aureo ore fit planior.*"

(2) pag. 47. E. — 48. B.

aërem, ignem dicimus et aquam, revera talia non sunt. Nam non est, cur aquam, (hoc sit exemplo) aquam potius, quam terram dicas; fit enim aqua concreta lapis, aut terra; extenuata in aerem aut spiritum mutatur. Haec tertia, quam dicimus, natura ea est, ἐν ᾧ ἐγγιγνόμενα φαντάζεται, καὶ πάλιν ἐκεῖθεν ἀπόλλυται quatuor illa, aër, ignis, caetera; ipsa vero ἐκ τῆς ἑαυτῆς τὸ παράπαν οὐκ ἐξίσταται δυνάμεως. Tria igitur haec rerum reperimus genera: τὸ μὲν γιγνόμενον· τὸ δ᾽ ἐν ᾧ γίγνεται· τὸ δ᾽ ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον; hoc patri comparandum est, alterum matri, primum vero proli. Alterum genus χώραν quoque, locum seu spatium jure voces. Est igitur haec mea summatim sententia: ante coeli ortum tria fuisse ratione triplici ὄν τε, καὶ χώραν, καὶ γένεσιν: Χώραν vero, generationis illam nutricem, terrae, aëris, caeterorumque formas continentem, eo dissimilibus prorsus viribus fuisse agitatam, et quasi fluctuantem nullâ aequilibrii lege, sed huc illuc tractam, omnia sua vice traxisse, ita ut omnia ordine, mensura et ratione prorsus carerent. Quando vero Deus rerum naturam creare aggrediebatur, ignem, aquam, terram, aërem specie et quantitate distinxit, et quantum fieri potuit, ea in ordinem redegit (1).

Uberrime hîc data opportunitate excurrit Philosophus, in elementorum, ut ajunt, naturam et perpetuam mutationem enarrandam. Suo more hoc agit. Rerum docta et copiosa expositio sermonisque, si argumentum repetes, vividus tenor etiamnunc lectorem alliciunt, nec, ubi semel hujus Philosophiae

---

(1) p. 48. E. — 53. C.

studio, incubueris, facile TIMAEUM philosophantem relinquas. Nostri tamen instituti memores, tum haec, tum vero etiam, quae deinceps de animo et corpore humano, deque caeteris animantium generibus habet, prorsus intacta mittimus. Suadet namque utile brevitatis studium, ad alia ut properemus. Quare perorationis loco haec tandem sint TIMAEI verba: „Καὶ δὴ καὶ τέλος περὶ τοῦ παντὸς νῦν ἤδη τὸν λόγον ἡμῖν φῶμεν ἔχειν· θνητὰ γὰρ καὶ ἀθάνατα ζῶα λαβὼν καὶ ξυμπληρωθεὶς ὅδε ὁ κόσμος, οὕτω ζῶον ὁρατὸν τὰ ὁρατὰ περιέχον εἰκὼν τοῦ νοητοῦ θεὸς αἰσθητός, μέγιστος καὶ ἄριστος, κάλλιστός τε καὶ τελεώτατος γέγονεν, εἷς οὐρανὸς ὅδε μονογενὴς ὤν. Jam finem nostro de rerum naturâ sermoni imponamus. Mortalia enim et immortalia continens animantia, hicce mundus ipse animans, oculis percipiendum, visibiliaque complexu suo tenens exstitit; mundi intelligibilis imago, Deus sensus admittens, maximus, optimus, pulcherrimus, perfectus, unum rerum universum" (1).

Hactenus igitur PLATONIS TIMAEUM audivimus. Jam ipsi experiamur, utrum probe omnia intellexerimus, quae de Deo rerum auctore doctissimus protulit Philosophus. Singulas deinceps uberius explicabimus, quae huc pertineant, TIMAEI doctrinas. Sic enim optime tandem, quod quaerimus, inveniemus.

Et ante omnia παράδειγμα illud, ad quod omnia composuerit Deus, nos tenet. Res est nova. Justam illius notionem suscipere studeamus. Refert illud Philosophus ad genus eorum, quae vere sunt, non fiunt, nec facta sunt, intelligentiâ et ratione compre-

---

(1) pag. 92. in fine Dialogi.

henduntur, utpote semper eadem; aeternum est (1); ejus vim et ideam expressit summus Opifex in mundo creato, qui eo ipso pulcherrimus exstitit (2). Est animans, omniaque animantia, quotquot mente percipiantur, complectitur; absolutum adeo perfectumque totum (3).

Aut vehementer erro, aut mundi perfectissimi Ideam, παραδείγματος nomine indicavit PLATO, seu potius ipsam perfectissimam rerum naturam, omnes perfecti ideas continentem (*Ideaal*), quam menti praesentem intuebatur summus Deus. Longum sit, hic reconditam illam de Ideis doctrinam data operâ exponere. Vereor, ne HORATII immemor praecepti (4),

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri:

turpi nimis caderem lapsu. Rem tamen paucis satis explicare possumus. Hoc certe in *Parmenide* et in libris *de Republica* docemur, Ideas esse τὰ ὄντως ὄντα, aeterne eadem, adeoque rationis tantum vi prehendenda. Eas esse tamquam exemplaria, ad quae res, dum creantur, componuntur, diserte testatur SOCRATES, qui PARMENIDI, μάλιστα ἔμοιγε, inquit, καταφαίνεται ὧδε ἔχειν· τὰ μὲν εἴδη ταῦτα ὥσπερ παραδείγματα ἑστάναι ἐν τῇ φύσει, τὰ δὲ ἄλλα τούτοις ἐοικέναι καὶ εἶναι ὁμοιώματα (5). Idem eadem fere ratione, alibi, cum GLAUCONE disputans de optimis

(1) TIM. p. 28. E. — 29. A.
(2) p. 28. A.
(3) p. 30. D. E.
(4) Ep. ad Pisones v. 38. seqq.
(5) PARM. pag. 132. D.

civitatis custodibus, illum, qui non ut Philosophus τὸ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως ἔχον cernat, caecum vocat, et quaerit « num igitur a caecis quid differre videantur isti, qui cognitione cujusque, quod vere est, destituti sunt, neque perspicuum ullum in animo habent exemplar, quod cum intueantur, ut pictores faciunt, et omnia rursus ad illud referant, ita demum hic leges ferre possint de pulcris, justis et bonis, latasque leges servare incolumes: Ἦ οὖν δοκοῦσί τι τυφλῶν διαφέρειν οἱ τῷ ὄντι τοῦ ὄντος ἑκάστου ἐστερημένοι τῆς γνώσεως, καὶ μηδὲν ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ ἔχοντες παράδειγμα μηδὲ δυνάμενοι, ὥσπερ γραφῆς, εἰς τὸ ἀληθέστατον ἀποβλέποντες κἀκεῖσε ἀεὶ ἀναφέροντές τε καὶ θεώμενοι ὡς οἷόν τε ἀκριβέστατα, οὕτω δὴ καὶ τὰ ἐνθάδε νόμιμα καλῶν τε πέρι καὶ δικαίων καὶ ἀγαθῶν τίθεσθαί τε, ἐὰν δέῃ τίθεσθαι, καὶ τὰ κείμενα φυλάττοντες σώζειν (1). Pictorum imagine alio quoque loco optime utitur, et Philosophos adeo in civitate constituendâ hoc nomine insignit SOCRATES. Sic enim cum GLAUCONE disputat (2): « Ubi recte igitur omnis virtutis in civitate auctores dixerimus Philosophos, numquid vulgus nobis succensebit, amice GLAUCON, si numquam beatam fore civitatem contenderimus, nisi eam depinxerint pictores illo divino exemplari usi? (εἰ μὴ διαγράψειαν αὐτὴν οἱ τῷ θείῳ παραδείγματι χρώμενοι ζωγράφοι;) — Non succensebunt, si illud senserint. Verum quamnam picturam dicis? — Illi urbem moresque hominum ut tabulam tergunt. Deinde describunt reipublicae formam. In eo autem respiciunt ad illud, quod natura suâ justum, pulcrum,

---

(1) Rep. VI. 484. C. D.

(2) Ibid. p. 500. E. — 501. C.

temperatum est, et rursus ad humanam justitiam, pulcritudinem, temperantiam, atque haec ad illorum exemplar componunt; ita ut naturam humanam ex officiis temperando misceant, illius psi indiciis, quod HOMERUS, quando hominibus insit, Dei speciem et imaginem vocat. *ἀποβλέποιεν πρός τε τὸ φύσει δίκαιον καλὸν καὶ σῶφρον καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα καὶ πρὸς ἐκεῖνο αὖ τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἐμποιοῖεν ξυμμιγνύντες τε καὶ κεράννύντες ἐκ τῶν ἐπιτηδευμάτων τὸ ἀνδρείκελον ἀπ' ἐκείνου τεκμαιρόμενοι, ὃ δὴ καὶ Ὅμηρος ἐκάλεσεν ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐγγιγνόμενον θεοειδές τε καὶ θεοείκελον.* — Optime consentit cum hisce TIMAEUS ille *Locrus*, cujus fertur hodieque de mundi animo libellus. « Mundus," inquit, « genitorum omnium optimus est; nam ab auctore optimo est profectus, qui non ad exemplaria manu facta, *ἀλλ' εἰς τὰν ἰδέαν καὶ ἐς τὰν νοατὰν οὐσίαν* respexerit" (1).

Talis igitur perfectus mundus, optimum et absolutum rerum universum, quale ratio divina Summo Numini quasi depingens menti impressit, ipsi omnia creanti exemplo erat, cui simillimam redderet generatam rerum naturam. Idem aliis verbis sic expressit PLATO: *πάντα ὅτι μάλιστα γενέσθαι ἐβουλήθη παραπλήσια ἑαυτῷ* (2). Ideae enim illae, quibus perfecta illa *οὐσία* continetur, adeo cum Deo ipso cohaerent, ut a nemine nisi a Deo concipiantur, nec Deus absque ideis illis cogitari queat. Ipse perfectissimus perfectis fruitur ipsius perfecti ideis; perfectam adeo, quantum fieri posset, rerum esse voluit

---

(1) pag. 94. E. Cf. 93. B. Caeterum de hoc TIMAEI opere quaedam dabimus in OBSERV. *nota* D.

(2) Tim. pag. 29. E.

naturam. — Hoc modo Platonis sententiam cepit quoque Seneca, Stoicorum ille facile princeps; qui, cum rerum causas quaerens, quatuor illas Aristotelis, Materiam, Deum, Formam, Consilium, memorasset, „his quintum,” inquit, „Plato adjicit exemplar, quam ipse Ideam vocat: hoc est enim, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit. Haec exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque universorum, quae agenda sunt, et modos mente complexus est. Plenus his figuris est; quas Plato ideas appellat; immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt: ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet; et hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur” (1). Alcinous quoque Philosophus, etsi sua saepius Platoni tribuit, multa tamen hac de re habet memoratu digna. Παραδειγματικὴν ut vocat ἀρχὴν exponens (2), ἔστι ἡ ἰδέα inquit, ὡς μὲν πρὸς θεὸν νόησις αὐτοῦ· ὡς δὲ πρὸς ἡμᾶς νοητὸν πρῶτον· ὡς δὲ πρὸς τὴν ὕλην μέτρον· (ex iis enim rebus accedunt formae; ideae mente Dei conceptae originem dedere certis illis terminis, quibus materia distincta est) ὡς δὲ πρὸς τὸν αἰσθητὸν κόσμον, παράδειγμα· ὡς δὲ πρὸς αὐτὴν ἐξεταζομένη, οὐσία. — Omnes porro antiqui fere Platonis interpretes, ii certe, qui melioris notae sunt, in hoc consentiunt; perraro tamen animadverterunt, ἰδέαν inter et παράδειγμα νοητὸν idem obtinere discrimen, quod cogitationem inter et rem cogitatam observari solet. Sic etiam Apulejus, Madaurensis ille ex Africa Platonicus, magistri, sic

(1) Seneca Ep. LXV.

(2) In Introd. in Plat. dogm. Cap. IX. Cf. XII.

enim PLATONEM vocabant, referens doctrinam, ἰδέας dicit (1) « formas omnium simplices et aeternas, nec corporales esse; tamen ex iis, quae Deus sumserit, exempla rerum, quae sunt, eruntve."

Si autem quaeras, undenam PLATO hanc de aeterno, perfecto mundi exemplari sumserit opinionem, in promptu responsio est. Ea est PLATONIS de Deo philosophia, ut ab animo humano incipiat. E mente hominis divinam cognovit naturam. Quidquid boni in ea inesse animadverteret, hoc, perfectissimum, Deo tribuere solebat. — Ea autem humanae mentis vis est, ut homini sive rem animo recolenti, sive quocunque tandem modo aliquid conformanti, elaboranti, confestim rei perfectum exemplar, rem, qualis esse debeat, proponat, quo sit opus vero similius. Ita pictor, exempli causâ, qui JOVEM in tabulâ pingat, perfectissimum illam formam, exprimere ardet, quam perfecti sensus interior et veri innata notio animo quasi insculpant. — Sic TULLIUS in summo oratore fingendo, « talem informabo, inquit, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil esse possit praestantius: quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio, an umquam, in aliquâ autem parte elucet aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulcrum, quo non pulcrius id

(1) De habit. doctr. Plat. I. p. 4; Editione utor *Elmenhorstii* Francof. 1621. — Caeterum de hac PLATONIS doctrinâ legantur DIOG. LAERT. III. 76. Cf. 72. — PLUTARCHUS sive auctor libri de placitis philos. I. 3. — SEXT. EMP. adv. Phys. II. 258. PROCLUS in Theol. Platonis L. V. 14. 17.

sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago exprimatur: quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, cogitare tamen possumus pulcriora. Neque vero ille artifex, cum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eâque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa cadunt: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, PLATO (1)."

Hanc igitur mentis humanae vim ac naturam cum probe animadvertisset diligens humanae naturae ἐρευνήτης PLATO, eandem continuo, sed perfectissimam divinae menti affinxit; et, cum Dei in hoc rerum universo creando summum consilium contineri perfectionis ipsi videretur studio, mundum credidit perfectissimae naturae esse quasi simulacrum, illiusque, tamquam exemplaris, imaginem pulcherrimam. — Mundum autem νοητὸν dixit ζῶον, quoniam nostro mundo animum insidere censebat, et illud, quod animum haberet, inanimis longe praestare existimabat.

---

(1) Orator. C. 2. 3.

Ex ideis adeo divinus ille Δημιουργὸς rerum formas petiit; Mens ac Ratio divina optimam rerum indolem ac naturam excogitavit, eamque, pro admirabile sua benignitate, rebus hoc in mundo indidit. Sed materia, ex quâ omnia effecta sunt, ita ut corpora formarentur, undenam haec Deo adfuit? — Exstitit illa ab aeterno. Summus rerum artifex, cum mundum crearet, mente conceptis formis illam solummodo distinxit, per corpora omnia distribuit et composuit. — Hisce nimirum obscura illa Platonis doctrina de tertio rerum creatarum initio, quod γενέσεως fuerit ὑποδοχή, comprehendi fere videtur. Res tamen uberius est illustranda.

Philosophi illi, qui Platonici antiquitus dicti sunt, hoc generationis omnis quasi receptaculum, ὕλην, *materiam* vocarunt. Graecum nomen Platonem auctorem non habet; Aristoteles hoc sensu primus eo usus videtur. Nam, quae a nonnullis objiciuntur, Platonis verba: Ὅτ' οὖν δὴ τὰ νῦν οἷα τέκτοσιν ἡμῖν ὕλη παράκειται τὰ τῶν αἰτίων γένη διυλασμένα, ἐξ ὧν τὸν ἐπίλοιπον λόγον δεῖ ξυνυφανθῆναι, πάλιν ἐπ' ἀρχὴν ἀνέλθωμεν (1); haec, inquam, minime probant, quod illi sibi volunt. Hinc enim nil efficere licet, nisi hoc, materiam, qualis exempli gratiâ fabro est ligni rudis moles, figulo cera incomposita; qualisque translato sensu scribenti dicentive argumentum est, quod tractat, ὕλην Platoni quoque fuisse dictam; sensu autem philosopho de tertio rerum principio Platoni vocem non in usu fuisse constat.

Attamen haud perperam materiae notionem Plato-

(1) Tim. p. 69. A.

micae γενέσεως ὑποδοχῇ subjicere videntur. Praesertim hoc demonstrant comparationes illae, quibus ad rem illustrandam et ornandam utitur is, qui narrat, Timaeus. Sic, cum γενέσεως suam ὑποδοχὴν diversam esse dicit a quatuor illis, quae elementa rerum vulgo habeantur, hisce explicat dicta: « εἰ γὰρ πάντα τις σχήματα πλάσας ἐκ χρυσοῦ, μηδὲν μεταπλάττων παύοιτο ἕκαστα εἰς ἅπαντα, δεικνύντος δή τινος αὐτῶν ἓν καὶ προσερομένου τί ποτ' ἐστι, μακρῷ πρὸς ἀλήθειαν ἀσφαλέστατον εἰπεῖν ὅτι χρυσός, τὸ δὲ τρίγωνον ὅσα τε ἄλλα σχήματα ἐνεγίγνετο, μηδέποτε λέγειν ταῦτα ὡς ὄντα; — ὁ αὐτὸς δὴ λόγος καὶ περὶ τῆς τὰ πάντα δεχομένης σώματα φύσεως (1). Ubi enim quis ex auro omnes fingeret figuras, nec singulis omnes dare formas desisteret, alteri de unâ earum roganti, quid sit, verissime respondebit, aurum esse; triangulum autem vel aliam qualemcunque figuram dicere non licebit. — Idem valet de illâ naturâ, quae omnia corpora recipit.” — Auro itaque formas recipienti ὑποδοχή illa comparatur, corpora, id est formas, quibus corpora definiuntur, suscipiens. Eundem prorsus sensum refert utraque comparatio, quâ apertius indicare voluit Philosophus, qui εἶδος illud πανδεχὲς omni carere formâ dicatur: « καθάπερ, ait, περὶ τὰ ἀλείμματα, ὁπόσα εὐώδη τέχνῃ μηχανῶνται, πρῶτον τοῦτ' αὐτὸ ὑπάρχον, ποιοῦσιν ὅτι μάλιστα ἀώδη τὰ δεξόμενα ὑγρὰ τὰς ὀσμάς. Veluti, qui unguenta parant, hoc maxime curant, ut fluida, quae odores sunt suscepturа, ipsa omni odore vacent; ὅσοι τε ἔν τισι τῶν μαλακῶν σχήματα ἀπομάττειν ἐπιχειροῦσι, τὸ παράπαν

(1) Tim. p. 50. A. B.

σχῆμα οὐδὲν ἔνδηλον ὑπάρχειν ἐῶσι, προομαλύναντες δὲ ὅτι λειότατον ἀπεργάζονται· et, ut illi, qui in molli quadam materia figuras exprimere student, ante illam abstergentes quam levissimam efficiunt, ne scilicet ulla forma appareat; ταὐτὸν οὖν καὶ τῷ τὰ τῶν πάντων — ἀφομοιώματα καλῶς μέλλοντι δέχεσθαι πάντων ἐκτὸς αὐτῷ προσήκει πεφυκέναι τῶν εἰδῶν· ita quoque natura, omnium οὐσίων simulacra susceptura, ipsa omni forma prorsus sit destituta, necesse est" (1).

Eo ipso, quod γενέσεως ὑποδοχὴν hanc dicit naturam, sibi materiae, qualem nos vocamus, menti obversatam esse notionem declarat PLATO. Γένεσις enim motu fit: motus sedis est mutatio: sedis sive loci mutatio tantummodo in eo convenit, quod materiae quid habet: γένεσιν itaque materia tantum suscipit. Hinc PLATONI quoque χώρα audit. Nam, uti spatio, quod complet, corpus definitur, ita loco, id est spatio immenso, materia indefinita notatur (2). Etenim caveat quisque, ne quorundam audiat voces, qui χώραν apud PLATONEM aliud quid atque ὑποδοχὴν esse commenti sunt. Ipsa auctoris verba: τρίτον δὲ αὖ γένος ὂν τὸ τῆς χώρας ἀεὶ φθορὰν οὐ προσδεχόμενον, ἕδραν δὲ παρέχον ὅσα ἔχει γένεσιν πᾶσιν (3), satis arguunt ei, cum locum dicat, de generationis receptaculo sermonem esse. — Quotquot deinde maxima fruuntur auctoritate interpretes, mecum faciunt. ARISTOTELES jam dixit: « Πλάτων τὴν ὕλην, καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτό φησιν εἶναι ἐν τῷ Τιμαίῳ" (4). PLUTARCHUS

(1) Tim. pag. 50. E. — 51. A.
(2) Tim. pag. 52. B. C.
(3) Ibid. A. C. D.
(4) ARISTOT. Phys. L. IV. 2. Cf. JOANNES GRAMMATICUS ad ARIST. Phys. I.

quoque, Platonis citans de tribus rerum principiis locum, haec addit: χώραν τε γὰρ καλεῖ τὴν ὕλην, ὥσπερ ἕδραν, ἔστιν ὅτε καὶ ὑποδοχὴν (1).

Porro genus hoc πανδεχές, de quo quaerimus, e sententia Platonis ἐκμαγεῖον (id est idem, quod ὑποδοχή) φύσει παντὶ κεῖται, κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενον ὑπὸ τῶν εἰσιόντων· τὰ δὲ εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα τῶν ὄντων ἀεὶ μιμήματα, (formae scilicet, quae idearum quasi sunt effigies), τυπωθέντα ἀπ' αὐτῶν (ideis) τρόπον τινὰ δύσφραστον καὶ θαυμαστόν (2). In his igitur dominatur plane materiae simul et loci notio. Formatur haec ὑποδοχή, sive formas distinctas accipit ab ideis; quare, cum ipsa formas quasi concipiat, corporaque pariat, matri a Timaeo comparatur. Quae comparatio num recte sese habeat, aliis dijudicandum relinquo (3).

Deinde ignem, aquam, caetera confundere cum hac natura Timaeus vetat; sed ejus πεπυρωμένον, ὑγρανθὲν μέρος commemorat, quod imperitis aqua, ignis videatur, revera autem ἀνόρατον, ἄμορφον est genus, et absque sensibus λογισμῷ τινὶ νοθῷ percipitur. Motu incondito agitatur, donec Deus, cum in eo esset, ut mundum crearet, ignem primum et aquam, terram et aërem, quae suae naturae vestigia quidem referebant (ἴχνη μὲν ἔχοντα αὐτῶν ἄττα), sed ἀλόγως καὶ ἀμέτρως erant disjecta, specie et quantitatis dimensione distincta conformaverit (4).

---

(1) Plut. de an. procr. in Timaeo. C. 24. Cf. plac. philos. I. 19. Vid. porro Tim. Locr. p. 94. B. Alcin. Introd. C. 8. Chalcidius Comm. in Tim. p. 370. 455. ed. Meurs. 1617.

(2) Tim. p. 50. C.

(3) Tim. p. 50. C.

(4) Tim. p. 51. A. 52. A. 53. B.

Itaque merito ex his omnibus conficere nobis videmur, γενέσεως ὑποδοχὴν, seu χώραν vocasse Platonem rudem illam et indigestam materiae molem, qualem ὕλην post Platonem dixere Philosophi; Latini poëtae maxime Chaos vocare solent, quod pulcherrimis versibus sic veterum ad exemplum Ovidius (1) celebravit:

Ante mare et tellus, et quod tegit omnia, coelum,
Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere Chaos; rudis indigestaque moles;
Nec quidquam nisi pondus iners; congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.
. . . . nulli sua forma manebat.
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Deus igitur cum inconditam illam molem viribus incertis atque aestuantibus fluctuare videret, certas formas, ad divinum perfecti mundi exemplar mente conceptas, materiae inpressit, et ita primum aquam, terram, ignem, aërem suis quodque aptissimis motibus finibusque discrevit; deinde alia composuit.

Licet enim fuerint nonnulli, qui dubitarint, an materiam Plato inter rerum initia numeraverit, seu potius omni vi id egerint, ut materiam ipsam a Deo creatam esse censuisse Platonem efficerent, nobis tamen vani videntur eorum conatus. — Etiamsi enim scripta Platonis non ubivis fere huic sententiae obloquerentur, vel hoc nos induceret, ut eam Philosopho abjudicaremus, quod non evidenter

(1) Metamorph. L. I. 5. seqq.

satis eam declarat. Quippe, me judice, inventam τὴν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γένεσιν summo fuisset PLATO studio amplexus, et verissimam sententiam, qua omnia statim evertissent Poëtarum simul ac Philosophorum de rerum ortu commenta, animo ita fovisset summus Philosophus, ut certissimis eam vindicare instituisset demonstrationibus. Caeterum, est illa notio ejus generis, ut nullum hominis ingenium sponte sua in eam incidat. Ne nos quidem, quos divina Providentia revelando rem edocuit, ejus vim ac sensum rite perfecteque percipimus. At talibus argumentis ne indigemus quidem. Ipsa auctoris verba et sententiae satis efficiunt PLATONEM nullam materiae ne cogitasse quidem originem; aeternam illam credidisse Philosophum. Τὸ ὂν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον ubivis eo definitur, quod νοήσει μετὰ λόγου intelligatur, ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν. Τὸ γιγνόμενον autem δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου δοξαστὸν dicitur, atque fieri et interire (1). Jam vero tertium illud rerum genus, de quo nobis sermo est, φθορὰν οὐ προσδεχόμενον, αὐτὸ δὲ μετ' ἀναισθησίας ἁπτὸν λογισμῷ τινὶ νόθῳ dicere PLATONEM novimus (2). Alibi quoque diserte ἀνόρατον illud vocat (3) et ταὐτὸν ἀεί, idem semper; ἐκ γὰρ τῆς ἑαυτῆς τὸ παράπαν οὐκ ἐξίσταται δυνάμεως (4). Procul dubio igitur ad illud rerum genus materiam retulit PLATO, quod vere est, non vero generatione demum exstitit. — Deinde hoc attendatur velim, quod ἀλόγως καὶ ἀμέτρως ἔχειν sua natura illam per-

(1) Tim. 28. A.
(2) Ibid. 52. A.
(3) Ibid. 51. A.
(4) Ibid. 50. B.

hibuit Philosophus; Deum autem, quidquid creet, quam optime et pulcherrime illud efficere, et quantum fieri possit, perfecto illi mundo, quem mente continebat, simillimum, quin imo ἑαυτῷ παραπλήσιον reddere. Summo igitur rerum auctori, pulcri bonique unice amantissimo, indigna tribuere jure censeretur PLATO, sibique minime constare, cum rudem illam et indigestam molem aliquando a Deo creatam esse affirmaret. Quid? quod diserte enunciat, prorsus ab eâ abfuisse Deum, antequam mundum creare aggrederetur? Terram nimirum, aërem, ignem et aquam παντάπασι διακείμενα eo tempore commemorat, ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν ἅπαν, ὅταν ἀπῇ τινὸς θεός (1).

Accedit denique, quod in omni Poëtarum et Philosophorum choro nullus reperitur, qui uni Deo omnium rerum initium tribuerit. Nullusne ergo e successoribus, avide adeo egregia quaecunque in PLATONE laudantibus, hanc agnovit viri summi doctrinam? Nulline ex aliarum sectarum fautoribus haec sententia innotuit, quam, utpote notam et audacem nimis, reprehenderet, aut notaret tamquam impiam doctrinam, qualem vulgus dicere amat omnem a patriis de Deo placitis dissensum? — Omnes porro interpretes PLATONIS apud eum nil nisi aeternam deprehenderunt materiam, cui Deus tantum conformator accesserit. Sic CICERO, a quo nobiliorum quorumvis philosophorum de rerum principiis intelligas sententias « PLATO," inquit, « ex materia in se omnia recipiente mundum esse factum censet

(1) Tim. p. 53. B.

a Deo sempiternum (1)." — Nec ab hoc dissentit PLUTARCHUS, licet non satis ubivis τὸ σῶμα distinguat ab ὕλης (2). PLATONEM tamen se sequi velle pronuntiat et οὐσίαν καὶ ὕλην, ἐξ ἧς γέγονεν ὁ κόσμος, οὐ γεγενημένην dicere, ἀλλὰ ὑποκειμένην ἀεὶ τῷ δημιουργῷ, εἰς διάθεσιν καὶ τάξιν αὐτῆς καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομοίωσιν, ὡς δυνατὸν ἦν, ἐμπαρασχεῖν: sed semper subjectam opifici disponendam se et ordinandam, atque ipsius similitudinem, quantum ejus fieri potest, effingendam praebuisse. Οὐ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἡ γένεσις, ἀλλ' ἐκ τοῦ μὴ καλῶς μηδ' ἱκανῶς ἔχοντος, ὡς οἰκίας καὶ ἱματίου καὶ ἀνδριάντος (3). — Optime quoque de re disserit APULEJUS, qui de PLATONE ait: « Materiam vero improcreabilem incorruptamque commemorat, non ignem neque aquam, nec aliud de principiis et absolutis elementis esse; sed ex omnibus primam figurarum capacem, factionique subjectam, adhuc rudem et figurationis qualitate viduatam. Deus artifex conformat universam. Infinitam vero idcirco, quod ei sit interminata magnitudo. Sed neque corpoream neque sane incorpoream esse concedit. Ideo autem non putat corpus, quod omne corpus specie qualicunque non careat. Sine corpore vero esse non potest dicere, quia nihil incorporale corpus exhibeat. Sed vi et ratione sibi eam videri corpoream. Atque ideo nec actu solo neque tamen sola opinione cogitationis intelligi; namque corpora propter insig-

---

(1) Acc. Quaest. IV. 37.

(2) Plac. phil. I. 7. Cf. tamen I. 9. Plat. Quaest. B. 2. Δ. fine, ubi recte distinguit.

(3) De an. procr. in Timaeo. S. 5. Cf. CHALC. Comm. p. 103. qui ad hunc locum respexisse videtur.

nem evidentiam sui, simili judicio cognosci. Sed, quae substantiam non habent corpoream, cognitionibus ea videri, unde adulterata opinione ambiguam materiae hujus intelligi qualitatem (1)."

Ecquis igitur primus talem reperisse in Platonis scriptis de principiorum quoque omnium creatione doctrinam sibi visus est? — Christianae Ecclesiae fuit doctor, qui saeculo secundo ad finem vergente vixit, Clemens Alexandrinus. Hic ubi repperit a Platone summum rerum Artificem *ποιητὴν* vocari *καὶ πατέρα*, „*τὸν μὲν οὖν ποιητήν τε ἔδειξε τὸν κόσμον*," inquit, „*ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτοῦ γεγονέναι σημαίνει, καθάπερ υἱόν, πατέρα δὲ αὐτοῦ κεκλῆσθαι, ὡς ἂν ἐκ μόνου γενομένου καὶ ἐκ μὴ ὄντος ὑποστάντος* (2)." Nemo autem nescit, doctissimum Patrem totum quantum insano duci studio, ut Platonis philosophiae cum revelatâ Religionis doctrinâ consensum constituat; cum adeo persuasum esset ipsi, in antiquorum Graecorum scriptis cujuscunque verae doctrinae, in Sacro demum Codice omnibus explicitae, vestigia ac quasi semina inesse; ut non dubitaret, quin Orpheo quoque, antiquissimo vati, haec verissima de rerum ortu opinio fuerit celebrata (3). — Nullum autem verum esse inter has voces, *ποιητήν*, *πατέρα*, significationis discrimen, quisque, qui *Timaeum*

---

(1) Apul. de hab. doctr. Plat. I. pag. 3. De materia corporea et incorporea apud Platonem, cf. quoque Stobaeus Eclog. Phys. I. 14. Proclus in Theol. Plat. L. V. 17. 35. 39. Alcinous C. 8. 11. Plot. Ennead II. L. IV. 10.

(2) Stromat. V. 14.

(3) Ibidem. pag. 724.

legerit, spatio seu intelligat, nosque deinceps paucis exponemus.

Quod autem haec Clementis sententia plurimos adeo per omne aevum invenerit fautores, magnopere non est mirandum, si reputes, magnam Patris in Romana Ecclesia atque inter eruditos auctoritatem, et simul attendas, ne recentiore quidem aetate infaustum illud evanuisse studium, quo Clemens in philosophiae tristissimum detrimentum ducebatur, ut sua dogmata Platonis inferens scriptis, hujus doctrinam Sacro cum Codice consentire demonstraret. Hoc morbo laborarunt Marsilius ipse Ficinus, Livius praesertim Galantes, ordinis ille Minorum socius, quin imo eruditissimus Huetius, Andreas Dacierius, alii (1). Cudworthius etiam saepe hoc errore infectus apparet. — Quod autem multo magis miramur, hoc est, Proclum quoque eruditissimum illum saeculi quinti Platonicum adeo se decipi passum esse, ut Platonis Deus ἄῤῥητος αἰτία τῆς ὕλης, ineffabilis materiae auctor ipsi vocatus sit (2).

Parum argumentis utuntur perversae hujus opinionis fautores; ubi tamen eam firmare aggrediuntur, provocant ad verba, sexcenties apud Platonem obvia, nemini autem aliquantulum Platonicae philosophiae perito obscura. Scilicet, τὸ μὴ ὄν, quod nostro idem est ac τὸ γιγνόμενον, isti Latinorum *nihil* respondere dicunt. Praeterea turpiter σώματος eum materiae notione confundunt. In his

(1) Horum scripta vide apud Fabricium Bibl. Gr. III. 1. 8. Cudw. Syst. Intell. C. V. S. I. atque Moshemium in Diss. de creatione ex nihilo huic operi insertâ, passim.

(2) Proclus Comment. in Tim. II. 116.

autem aperte adeo errant, ut ne verbis quidem amplius indigeamus, quibus refutemus has vocum explicationes. Caeterum de tota quaestione jam satis dictum arbitror.

Quod autem TIMAEUS dixit de materiâ adornatâ, conditâ a Deo pulcri amantissimo, egregie illustratur PHAEDRI verbis. Hic enim amorem celebraturus sic orditur sermonem: (1) « Magnus est Deus amor praesertim propter ortum suum. Nam Deorum omnium est veterrimus; haud celebrantur ejus parentes: sed HESIODUS dixit primum exstitisse chaos;

αὐτὰρ ἔπειτα

Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί

ἠδ' Ἔρος.

idemque affirmat PARMENIDES, dicens

πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων."

In quibus observamus philosophema antiquum de rerum origine et conditione praesente, quo nil umquam elegantius sublimiusque excogitavit hominis ingenium: chaos fuisse primum, rerum universarum principia continens, sed rudem indigestamque molem, in quâ omnia fluerent contrario motu et in se invicem agitarentur elementa: tum vero, ecce! natum esse amorem, quo exorto, omnia esse confestim ac sponte in ordinem et concentum redacta, ac pulcherimum exstitisse, quem nunc admiramur, mundum (2). — Amor itaque ille est pulcri in Deo studium, quod illum, (ἦν γὰρ ἀγαθος), adduxit, ut ex incompositis optime compositum mundum crearet. — Haec autem fictio perquam placuit antiquis

(1) Conv. p. 178. B.

(2) v. HEUSDE Initia p. 107. seqq.

Poëtis et Philosophis. Hinc enim cum alia multa, tum EMPEDOCLIS *φιλία καὶ νεῖκος*, et *μῦθος* apud ARISTOPHANEM in pulcherrimo avium choro, ubi Nox dicitur in Erebi sinu ovum peperisse,

ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός·

nato autem amore orta dicuntur omnia, ipsi adeo exstitisse Dii immortales.

πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων, πρὶν Ἔρως συνέμιξεν ἅπαντα,
ξυμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις, γένετ' Οὐρανὸς Ὠκεανός τε καὶ Γῆ, πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον (1).

Dominatur hoc quoque in ERYXIMACHI sermone (2), qui pariter vim amoris per omnem rerum naturam diffusam suo more celebrat, ita tamen, ut magis ad conditionem rerum praesentem, quam earum ortum respiciat.

Jam, ut opinor, eo disputando pervenimus, ut Philosophi nostri de materia sententias in summam tute contrahere possimus. Haec autem eadem complectitur, quae diximus, cum ipsam de materiâ ordiremur quaestionem: scilicet, e PLATONIS sententiâ materiam ab aeterno exstitisse, Deum tantum, ut mundum crearet, formis illis, quas mente ad ideas aeternas conceperat, materiam rudem distinxisse, composuisse, atque ita omnia corpora ex illa quasi genuisse (3).

---

(1) v. HEUSDE Initia 108.

(2) Conv. 186—189. praesertim 188. A.

(3) De hoc argumento praeter auctores laudatos conferantur DIOG. LAERT. III. 69. ALCINOUS Introd. C. 12. TIM. LOCR. 94. A. ARISTOT. Natur. Ausc. I. 5. 8. — FIRM. LACTANT. Div. Instit. II. 9. qui haec citat COTTAE, apud CICERONEM de nat. Deor. verba: « Pri-

Tria itaque rerum fuere principia eaque aeterna, Deus, Ideae, Materiae. — Timaeus autem illis duobus illis, Ideis et Materiae (ἥν τε καὶ χώραν ea vocat) tertiam addidit τὴν γένεσιν. Quid itaque? Deumne excludit? Minime vero. Rectissime autem γένεσιν recenset. Est enim illa generandi vis, aut, si mavis, generatricis naturae actio, quae nec a Deo aliena; nec tamen tota Dei est; ad quam, ubi de rerum ortu secundum Platonis sententias agas, omnino attendere oportet. Μεμιγμένη γὰρ οὖν ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννήθη (1). Nos de Dei mente vidimus; age itaque paucis de Necessitate illa agamus.

Incidit in quaestionem Timaeus, disputando de oculis hominis et lumine solis. Cum enim eâ, quâ est, doctrinâ flexi et reflexi luminis in oculo φαινόμενα memorasset Philosophus, addit (2): « ταῦτ' οὖν πάντ' ἔστι τῶν ξυναιτίων, οἷς θεὸς ὑπηρετοῦσι χρῆται τὴν

« mum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta « sunt omnia, esse divinâ providentiâ effectam; sed habere et ha« buisse vim et naturam suam. Ut igitur faber, cum quid aedifi« caturus est, non ipse facit materiam, sed eâ utitur, quae sit pa« rata, fictorque item cerâ; sic isti providentiae divinae materiam « praesto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet pa« ratam. Quod si non est a Deo materia facta, ne terra quidem et « aqua et aër et ignis a Deo factus est." — Verba esse videntur e III libro. Locus periit in Codd. Lact. autem, dum huic se opponit, Platonem citat inter eos, qui terram, caet. a Deo facta esse dixerint; non illius meminit, ubi materiam creatam esse contendit. — Caeterum dignum est, quod animadvertatur, auctorem quoque Libri Sapientiae, qui saepius a Platone pendet, mundum a Deo conditum dixisse ἐξ ἀμόρφου ὕλης. XI. 17.

(1) Primus locus Tim. p. 52. D. hic 48. A.

(2) Tim. p. 46. D. E.

τοῦ ἀρίστου κατὰ τὸ δυνατὸν ἰδέαν ἀποτελεῖν. Mente autem haec et ratione plane carent. Attamen oportet quemque philosophum τὰς τῆς ἔμφρονος φύσεως αἰτίας πρώτας μεταδιώκειν (quae a nobis jam explicitae sunt); quae vero oriuntur ex iis, quae, ab aliis mota, ipsa alia ἐξ ἀνάγκης movent, δευτέρας. De utroque causarum genere disserimus, tam de iis, ὅσαι μετὰ νοῦ καλῶν καὶ ἀγαθῶν δημιουργοὶ sunt, quam de illis, ὅσαι μονωθεῖσαι φρονήσεως τὸ τυχὸν ἄτακτον ἑκάστοτε ἐξεργάζονται, quae prudentia carentes sine ordine passim ea faciunt, quae fors obtulerit." — Has igitur ut exponat, totam illam instituit de materiâ, quam tractavimus, disputationem. Eam autem sic incipit: « Paucis exceptis hactenus mentis exposuimus opera, δεῖ δὲ καὶ τὰ δι' ἀνάγκης γιγνόμενα τῷ λόγῳ παραθέσθαι (1)." Est igitur ἀνάγκη illa vis, quae, Deo in generando ξυναιτία, corporibus omnibus propriam indit naturam, ut τὰ ψύχειν, θερμαίνειν, πηγνύναι, διαχεῖσθαι (2). Non enim Deus horum causas distribuit; non ille aquae liquidam, terrae solidam dedit naturam; sed inerant horum, ut vidimus, in materiâ semina. Necessitas adeo, materiae fere legibus, naturae, ut dicuntur, viribus continetur. Elementis tamquam insidet (3), ut animus corpori, atque per ea in omnem corpoream naturam vim suam exercet. Hoc quoque egregie indicant verba illa, quibus hanc de Necessitate concludit orationem: πάντα δὴ ταῦτα τότε ταύτῃ πεφυκότα ἐξ ἀνάγκης ὁ τοῦ καλλίστου τε καὶ ἀρίστου δημιουργὸς ἐν τοῖς γιγνομένοις παρελάμβανεν,

(1) Tim. 47. E.
(2) Ibid. 46. D.
(3) Ibid. 48. B.

ἡνίκα τὸν αὐτάρκη τε καὶ τὸν τελεώτατον θεὸν (mundum) ἐγέννα· χρώμενος μὲν ταῖς περὶ ταῦτα αἰτίαις ὑπηρετούσαις, τὸ δὲ εὖ τεκταινόμενος ἐν πᾶσι τοῖς γιγνομένοις αὐτός. Haec igitur omnia, quae e Necessitate exstitere, Opifex ille assumsit in iis, quae generabat, quando perfectissimum Deum creabat; usus quidem causis administris illis, bona tamen quaecunque ipse constituens, διὸ δὴ χρὴ δύ' αἰτίας εἴδη διορίζεσθαι· τὸ μὲν ἀναγκαῖον· τὸ δὲ θεῖον (1).

At verò jam videor multorum audire voces, qui indignati clamitent, impie ac turpiter sic Deum libero fere privari imperio, liberaque eâ voluntate, quâ demtâ potentia simul tollitur divina; indigna esse talia summi Philosophi vere pia mente et ingenio. Sed culpam ab se removere studet PLATO. Mentis imperio Necessitatem quoque subjicit, ita ut huic quasi persuadeat illa omnia, quae fiant, ad optimum ducere finem; quare per Necessitatem, prudenti persuasione victam, sic ab initio rerum constitit universum: νοῦ δὲ ἀνάγκης ἄρχοντος, τῷ πείθειν αὐτὴν τῶν γιγνομένων τὰ πλεῖστα ἐπὶ τὸ βέλτιστον ἄγειν, ταύτῃ κατὰ ταῦτά τε δι' ἀνάγκης ἡττωμένης ὑπὸ πειθοῦς ἔμφρονος οὕτω κατ' ἀρχὰς ξυνίστατο τόδε τὸ πᾶν (2).

Penes Deum igitur illud est rationis imperium, quo omnis sapientia ac virtus mutas ferasque vires domare solet. Suâ divinâ mente ita dirigit Deus vel immanes illas Necessitatis e rudi materiâ vires, ut amice fere cum Providentiae conspirent consiliis. Ita supra audivimus rerum Creatorem elementa composuisse singulorumque vires secrevisse, et certis quasi ter-

(1) Tim. pag. 68. E. 69. A.
(2) Tim. p. 48. A. Cf. 56. B.

minis definivisse. Manent ergo vires; nam uti materiam non creavit ipse, ita nec materiae vires. Attamen eas direxit et exornavit; quapropter minime summi Patris infestant voluntatem, sed potius eximie consiliis ipsius opitulantur. Sic, ubi in civitate populi aut militum maxime vires vigent, quamdiu aequo illae imperio legibusque bonis reguntur et ad optimum ducuntur consilium, ipsae illae validissimae vires, quae civitati ruinam minentur indomitae, jam bonorum existunt efficacissima causa omnisque adeo salutis effectrices.

Haec est illa Necessitas Platonica, de qua tam variae variis aetatibus exstitere virorum doctorum sententiae. Omnium optime Proclus: « *τὸ δὲ δὴ σῶμα πλάττων τοῦ παντός, καὶ διαγράφων τὸν οὐρανὸν μετὰ τῆς ἀναγκῆς αὐτὸ δημιουργεῖ· — δεδεῖκται δὲ ἡμῖν ἐν ἄλλοις διὰ πλειόνων, ὅτι τὴν Φυσικὴν ποίησιν διὰ τῆς ἀναγκῆς ὁ Πλάτων ἀποκαλεῖ· καὶ οὐκ (ὡς τινες ὑπέλαβον) εἰς ταυτὸν ἄγει τὴν ἀνάγκην τῇ ὕλῃ.* Mundi autem corpus cum fingeret et coeli ambitum describeret, cum necessitate hoc effecit. — Nobis vero uberius alibi indicatum est, Platoni agentes naturae vires necessitatem dici, nec, ut perhibuerunt nonnulli, idem illi esse necessitatem et materiam (1)." Prorsus autem huic contraria facile putes ante pronuntiasse Chalcidium nobilem saeculi tertii, ut videtur, Platonicum, qui de Platone (2): « Necessitatem porro," inquit, « nunc appellat *ὕλην*, quam nos Latine *Sylvam* possumus nominare, ex quâ est rerum universitas, eademque patibilis natura." — Attamen

(1) Procl. in Theol. Plat. V. 30.

(2) Comm. in Tim. p. 364.

verborum magis, quam rerum est contentio. Videtur enim CHALCIDIUS quoque materiae vires intellexisse. Negligenter tamen rem expressit. — In alium errorem incidit PLUTARCHUS, sive auctor libri *de placitis Philosophorum*, qui refert PLATONEM *ὁτὲ μὲν τὴν ὕλην, ὁτὲ δὲ τὴν τοῦ ποιοῦντος πρὸς τὴν ὕλην σχέσιν* vocasse necessitatem. Verba postrema sunt obscura; si tamen recte vertuntur, ut vertit WYTTENBACHIUS: « naturae effectricis ad materiam habitus:" aliquid, quod in Deo esset, intuitus videatur auctor. Quid, quod fatum cum Necessitate confudit (1)?

Sed mittamus hanc de Necessitate quaestionem. Satis cuique, ut opinor, erit manifestum, quales ei dederit PLATO in rerum generatione partes. Ipsa proprie nil generare valet, sed corporum a Deo creatorum constituit naturam, motusque et mutationes alit. Maximam idcirco vim suam exserit in rerum gubernationem; quare infra quaedam dictis addemus.

Hac itaque admiranda sapientia et optima cura Deus mundum aliquando creavit. Materiam scilicet ejusque vires ita composuit et exornavit, ut pulcherrimum corpus evaderet. Verum de animo nondum locuti sumus, quem rerum indidisse naturae PLATONEM novimus. Nec tamen corpore confecto animus demum ortus est. Quod imperat subjecto

---

(1) De plac. philos. I. 26. — Caeterum recentiori quoque memoria hoc nomine reprehendendus videtur Vir. Clar. VAN LIMBURG BROUWER in Diss., quae A° 1823 legati Stolpiani praemium reportavit, pag. 61 et 70. — Cf. de Necessitate DIOG. LAERT. III. 75, ubi pro *διαμονὴν* legendum est *διὰ γνώμην* e Casauboni conjectura, i. e. *διὰ νοῦν*. Cf. PLATO Rep. VII. p. 517. B. DIOG. IX. 1. CUDWORTH. Syst. IV. 15. p. 240.

antiquius sit necesse est; quod melius est, deteriore certe prius fuit. Age itaque; ante omnia hic animi explicemus ortum. Quam tamen quaestionem qui facilem putet, egregie fallitur. Res est quam maxime obscura et nova; variae admodum interpretum sententiae haud minime turbant. Magna igitur opus est cautione, ne vel veri specie contenti simus, vel aliorum quam PLATONIS secuti ductum, in errores abripiamur. Eo igitur, quo procedere solemus, ordine hic quoque agendum est; et prius intento animo ipsius TIMAEI audiamus verba.

Τὴν (τοῦ κόσμου) ψυχὴν ξυνεστήσατο (ὁ θεὸς) ἐκ τῶνδέ τε καὶ τοιῷδε τρόπῳ. Τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ξυνεκεράσατο οὐσίας εἶδος, τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς θατέρου, καὶ κατὰ ταῦτα ξυνέστησεν ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτῶν καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ. Καὶ τρία λαβὼν αὐτὰ ὄντα συνεκεράσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν, τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταὐτὸν ξυναρμόττων βίᾳ· μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας, καὶ ἐκ τριῶν ποιησάμενος ἓν πάλιν ὅλον τοῦτο, μοίρας ὅσας προσῆκε διένειμεν, ἑκάστην δὲ ἔκ τε ταὐτοῦ καὶ θατέρου καὶ τῆς οὐσίας μεμιγμένην. (1) Ex natura (2), quae individua est et quae semper unius modi suique similis, et ex eâ, quae corporibus dividua gignitur, tertium naturae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset ejusdem naturae et quod alterius, idque interjecit inter

---

(1) Tim. p. 35. A. B.

(2) Ciceronis reddimus interpretationem; ita tamen, ut vocem *materiam*, quâ Gr. *οὐσίαν* perperam reddit, in *naturam* mutaverimus.

individuum, atque id, quod dividuum esset in corpore. Ea, cum tria sumsisset, unam in speciem temperavit; naturamque illam, quam alterius diximus, vel cum eadem conjunxit fugientem et ejus copulationis alienam, et permiscens cum tertia illa naturâ, cum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. Jam partes singulas ex eodem et ex altero et ex tertia illa naturâ temperavit."

Certe, qui definire velit, quid sibi voluerit PLATO dividuo illo, individuo et substantia (οὐσίᾳ), ardua audet. Non eâ sumus audaciâ; neque etiam proprie hîc tali inquisitioni locus est. Si tamen quis scire velit, quid de re censeamus, profiteri haud veremur sententiam nostram. Natura igitur illa *individua* mihi videtur esse τὸ ὄντως ὄν, illud verum genus, quod sub sensus non cadit, mente vero et ratione concipitur; *dividua* autem, materia; quam ἀνόρατον, sensibus non percipiendam dici a PLATONE, hic recordari oportet, ne quis corpoream admisceri animo naturam autumet. Οὐσία est illa substantia, illa natura, quae e duobus commixtis exstiterit. Putem hanc excogitasse PLATONEM animi commixtam naturam, ut ea, quae corpus inter et animum intercedit, necessitudo ipsi magis redderetur perspicua, et discriminis inventa esset ratio, quo a divina mente mens humana distat. Pure enim νοητῇ natura, quae eadem semper est et bona, temperatur naturâ mutabili; mutabilis autem naturae quominus exaestuet necessitas, νοητῆς naturae prohibet accessio. Mentis porro et corporis adeo distat indoles, ut nisi communionem instituat media quaedam natura, nullum

utriusque foret commercii vinculum. — Haec mea est sententia. Quid ea veri contineat, alii judicent. Hoc autem constat, quod in nostrâ causa scire satis est, animum mundi compositum esse e naturis a Deo diversis, nec ab ipso creatis: quas cum miscendo temperaret, animum generabat. Aperte adeo omnibus, qui vera agnoscere velint, indicat PLATO, Deum non e se petiisse mundi animum, nec illum, cum antea non existeret, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος creasse. Quod nobis animadvertisse sufficiat (1).

Caeterum haec de mundi animo sententia, quam jam e PLATONE protulimus, egregie confirmatur iis, quae in *Politico* narrat HOSPES ELEATES (2): « Universum hoc nonnumquam Deus regere desistit; tunc autem mundum Fatum revolvit et innata Cupido. Tunc omnia turbantur et contrario agitantur motu. Interdum tamen se ipse in ordinem restituit, sapientissimam Dei gubernationem, quantum quidem eam possit reminisci, imitatus. Sed diu in felici non permanet conditione. Mox prisca confusio, quâ materia ante mundi ortum turbabatur, rursus dominatur et malorum omnium fit causa: donec Deus tandem Mundi misereatur, atque ipse denuo omnia

imperio regat unus aequo."

Itaque mundi animus, nisi adsit Deus, non valet, mentis rationisque consilio, feras materiae domare vires. Ejus pars deterrima, quae dividuae est naturae, nimis materiae est cognata, quam ut hujus

(1) Loci uberiorem explicationem, et interpretum de eâ sententias vide in OBSERV. *nota* E.

(2) POLITIC. pag. 269. C. 272. E. — 273. E.

viribus inconditis resistere valeat. Quo fit, ut superet tandem vis horrida corporis, et animum plane corrumpat.

Sed mittamus ista, quae ad ipsum illud, quod quaerimus, non pertinent. Ex omnibus autem satis constat, animum mundi a Deo compositum esse ex aeternis elementis, quorum ipse auctor non est; Deum itaque generasse animum; elementa non creasse. Idem jure statuas de caeteris, cum Deorum, tum hominum animis. De illorum animis nil diserte dixit PLATO. Videntur tamen, aeque atque eorum corpora Universi esse partes. Nam τὸ Πᾶν Sidera quoque et Terram, Solem atque Lunam continet (1). De hominum animis PLATO testatur, eos ex iisdem elementis atque animum mundi, sed minus puris, a Deo fuisse compositos.

At vero, non levi difficultate premi videtur haec sententia. Quid enim? Nonne eo, quod nati dicuntur seu geniti animi, tota cadit de animorum immortalitate doctrina, quae huic universo nititur argumento: τὸ μὲν γιγνόμενον ἀπόλλυται, τὸ δὲ μὴ γιγνόμενον οὐ φθαρήσεται? Minime vero. Hac lege excipi censet PLATO, quaecunque ab ipso Deo generentur. Hanc ob causam Deos γεννήτους immortales dixit in *Timaeo* (2), licet nativitate interitui obnoxios; nec alia est ratio, quare ipsum mundi corpus, elementis aptissime inter se consociatis et commixtis compositum a Deo, ἄλυτον ὑπό του ἄλλου πλὴν ὑπὸ τοῦ ξυνδήσαντος γενέσθαι, nos edocet.

Verumtamen ita interdum de animo loquitur PLATO, ut fere inducamur in opinionem, non ubivis

(1) TIM. 39. E. 40.

(2) Ib. 41. A.

sibi constare Philosophum, cum de ejus ortu et natura disserat. Sic in *Phaedone* immortalem esse animum ex eo quoque probat SOCRATES, quod dissolvi nequeat, et hac fere ratione disputat: Dissolvi nil aliud est, quam partibus suis ita privari, ut hae discedant a se invicem, et ut illud totum, quod his partibus constabat, non amplius sit. Igitur dissolvi nil potest, nisi quod ex partibus constet. Porro animadvertamus rerum omnium duo esse genera. Horum alterum ex partibus est compositum, continuo mutationum turbine agitatur, nec umquam eodem statu manet; alterum simplex nullis constat partibus, neque propterea tantis mutationibus subjectum est, sed suum statum obtinet. Compositum contrectatur corporis sensibus; simplex sub nullum cadit corporis sensum, sed solâ animi cogitatione intelligitur. Jam animus ipse quin ad simplicium rerum genus pertineat, non est, quod dubitemus (1). TIMAEUS tamen e tribus illis naturis, dividuo, individuo, substantia mixtâ, compositum esse narrat animum. Quomodo ergo nobilem hunc Pythagoreum cum SOCRATE conciliabimus? Conciliandi tamen videntur; uterque enim PLATONIS agit partes. Verumenimvero, ubi diligenter utriusque sententias recolimus, non dissentire adeo videntur, ut difficilis sit illa conciliatio. SOCRATES in universum de composito loquitur, quale omne est corporeum. Compositum simplici ita ab eo opponitur, ut corpus animo. TIMAEUS autem animo, quamvis composito e tribus naturis, nil corporei tribuit. Non est

(1) PHAEDO p. 78. B. 81. WYTTENB. de imm. an. in Op. II. 585. seqq.

substantia quaedam partibus constans, sed totum quoddam unum, viribus diversis pollens. Eodem modo alibi ratio, ira, cupiditas animi partes dicuntur, quae proprie ejus sunt facultates. Nemo igitur non sentit animum, qualem TIMAEUS describit, minime referendum esse ad compositum, quod SOCRATES definit. Recte adeo SOCRATIS procedit argumentatio, nec TIMAEI sententiae quid detrahit.

At, licet PLATONIS ille in *Phaedone* SOCRATES, non pugnet cum TIMAEO, cum PHAEDRO tamen de animi immortalitate disputans revera TIMAEO obloqui, plerisque, inde ab ARISTOTELE (1), interpretibus visus fuit. Etenim in eo dialago (2) immortalitatis demonstratio, ut docuit WYTTENBACHIUS, tribus his continetur enunciationibus: « Anima est principium, quia se ipsa movet: Principium nec originem nec interitum habet: Ergo anima semper fuit et semper erit." Semper vero fuisse diserte in *Timaeo* negatur. WYTTENBACHIUS autem loci nostri in *Timaeo* memor, haec adjicit: « Forte sint quoque, qui PLATONEM hoc nomine reprehendant, quod sibi ipse repugnet, quum in *Timaeo* pronuntiaverit, animas a Deo creatas esse. Sed haec quidem reprehensio ita dilui potest, ut dicamus: animas hominum ex eadem substantia compositas esse atque animam mundi; eam vero substantiam ab omni aeternitate semper in motu fuisse." (3).

Ingeniose certe his a criminatione defendere PLA-

(1) Hic enim acriter hanc ob rem invehitur in PLATONEM, Metaph. XIV. 6.

(2) Pag. 245. C. D. E.

(3) WYTTENB. l. c. p. 577.

TONEM optimus ejus conatus est interpres. Attamen haud scio, sit doctissimi viri pace dictum, an revera omnis sic diluatur reprehensio. Etenim, ubi ad eam substantiam respicimus, ex qua animus est compositus, hunc principium dicere non licet; deinde, etiamsi ab omni aeternitate substantia illa in motu fuerit, non tamen continuo hoc de animo pronuntiari potest; caeteroquin corpus quoque, utpote e materia ab aeterno mota procreatum, immortale dici deberet.

Nec tamen alia mihi succurrit ratio, qua inconstantiae crimine PLATONEM liberem. Quid autem? quod ne eo liberari quidem debet? Juvenis *Phaedrum* scripsit PLATO; nec erit fortasse ullus scriptor, non certe Philosophus, qualis fuit PLATO, in dies philosophando magis ad vera accedens, quin juvenis scripserit, quae provectiori aetate minus probaret. Porro, totum quod in *Phaedro* exhibet immortalitatis argumentum, juvenem prodit, nimio amore amplectentem ea, quae philosophando invenerat, inconsiderate aliquantum iis addictum, non sedata ubivis mente argumenti conclusionem petentem. — Equidem sane cum WYTTENBACHIO (1) miror, et alios miraturos arbitror, quae sit necessitas, ut illud, quod se ipsum movet, semper fuerit. Nam qui acerrime animi libertatem defendunt, eamque in propriâ internâque agendi facultate, id est, ut veteres loquuntur, *in facultate se ipsam movendi* ponunt, idcirco minime negant animam a Deo esse creatam. Hoc tantum constat, rebus aliunde movendis non

---

(1) WYTTENB. l. c.

prius motum contigisse, quam primus ille, qui se ipse moverit, motus exstiterit. Corpus igitur non prius motum fuisse, quam animus adesset. Rerum universum sine Deo numquam potuisse moveri. — Nobis igitur potius est, dum existat, qui justam omnino conciliandi rationem proferat, qualis nobis nondum reperta est, censere, minus sibi constitisse juvenem et senem hac in re PLATONEM. Quod tamen nemo in vituperium PLATONIS dictum putet. Laudi potius eximiae philosopho vertatur, quod a perversa, quam juvenis conceperat, opinione senex recesserit. Licet enim in *Legum* libro X., quem valde senex scripsit, motum animi primum memoret, alia tamen ibi est rei ratio. Hoc tantum efficere studet HOSPES, motum se ipsum moventem caeteris prius exstitisse ac caeterorum esse causam; animum igitur universum generasse (1).

At longius jam in haec excurri, ut verear paene, ne multa, ut est in proverbio, παρὰ μέλος cecinerim. Erant tamen haec omnia memoranda, ne locum darem suspicioni, me silentio premere velle, quaecunque minus dictis meis faveant. Nunc postremo loco Interpretum nonnullorum sententias recensere liceat, quibus vel assentientibus, vel dissentientibus, mea confirmetur sententia.

Fuere multi, qui putarent PLUTARCHUM animorum originem apud PLATONEM non in generatione per Deum quaerere. Egregie tamen falluntur. Duo afferuntur loca; alterum, ubi de PLATONE; « τὴν δὲ ψυχὴν ἀρίστην τῶν γεννηθέντων εἰπὼν, σαφεστάτῃ ταύτῃ

(1) Vide hujus dissertationis pag. 13. seqq.

τῇ διαφορᾷ καὶ ἀντιθέσει τὸ ἀΐδιον αὐτῆς καὶ τὸ ἀγέννητον ἀφῄρηται (1)." Alterum, ubi PLATONIS exponens doctrinam, « ἡ δὲ ψυχὴ," inquit, « νοῦ μετασχοῦσα καὶ λογισμοῦ καὶ ἁρμονίας, οὐκ ἔργον ἐστὶ τοῦ θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέρος, οὐδ' ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ἀπ' αὐτοῦ καὶ ἐξ αὐτοῦ γέγονεν (2)." At in primo loco, cum aeternam animi commemorat partem, eandem, quam in altero quasi e Deo petitam dicit, mentem scilicet et rationem, τὸ ἀμέριστον, indicat. Et vero de animi parte dividua etiam idem dici posset, quod sit ἀΐδιος, (si tamen vera est nostra, quam supra dedimus, vocis μερίστου explicatio) nec tamen eo genitum esse a Deo, seu compositum animum negari. Nil igitur in PLUTARCHO reprehendendum censeo, nisi quod, obscurius loquens, pravae suspicioni ansam dederit.

Ejusdem fere aetatis Platonicus inclytus ALCINOUS jure magis accusatur, quod ab aeternitate fuisse animum mundi censeat. Hic enim idem fere de animo dicit, quod PLATONEM de materia dixisse intelleximus. Nam, postquam nullo non tempore mundum fuisse, e PLATONE sibi confecit « καὶ τὴν ψυχὴν, inquit, ἀεὶ οὖσαν τοῦ κόσμου οὐχὶ ποιεῖ ὁ θεὸς, ἀλλὰ κατακοσμεῖ· καὶ ταύτῃ λέγοιτ' ἂν καὶ ποιεῖν, ἐγείρων καὶ ἐπιστρέφων πρὸς αὐτὸν, τόν τε νοῦν αὐτῆς καὶ αὐτὴν, ὥσπερ ἐκ κάρου τινὸς, ἢ βαθέος ὕπνου, ὅπως ἀποβλέπουσα πρὸς τὰ νοητὰ αὐτοῦ, δέχηται τὰ εἴδη καὶ τὰς μορφὰς, ἐφιεμένη τῶν ἐκείνου νοημάτων (3)." Animum mundi,

(1) De an. procr. in Timaeo C. 8. Cf. 5. 4.
(2) Plat. Quaest. II. 2.
(3) Introduct. C. 14. med.

utpote aeternum, non creat Deus, verum exornat; hoc tamen nomine creare illum Deus dici possit; scilicet, quod suscitat et ad se convertit ipsam ipsiusque mentem, tamquam e gravi sopore, quo respiciens ad ea, quae mente tantum percipiuntur, ideas et formas concipiat, mentis petens cogitationes."

Hac certe e sententia animus ab aeterno affuit, licet, ut materia horrendâ confusione sepulta, ita ipse sopore oppressus jacuerit. Nemo tamen, qui ipsa PLATONIS de animi ortu recordetur verba, et secum reputet animi secundum PLATONEM naturam, quae motu fere et vitâ definitur, non sponte sua sentiat, quantopere a vera Philosophi mente aberraverit ALCINOUS.

Madaurensis ille saeculi secundi Platonicus, ALCINOI aequalis, APULEJUS, non satis aperte mentem declarat, ita ut fere nescias, utrum aeterne Deo affuisse mundi animum, an a Deo vel alia quacunque causa exstitisse aliquando censeat. Hoc certum est, multa ejus verbis contineri, quae caveas, ne PLATONI tribuas. Ita disserit APULEJUS: « Animam (PLATO dicit) animantium omnium non corpoream esse, nec sane perituram, cum corpore fuerit obsoluta, omniumque gignentium esse seniorem, atque ideo et imperitare et regere ea, quorum curam fuerit diligentiamque sortita; ipsamque semper et per se moveri, agitatricem aliorum, quae naturâ sua immota sunt atque pigra. Sed illam coelestem animam, fontem animarum omnium optimam sapientissimam, virtutum esse genitricem, subservire etiam fabricatori, Deo et praesto esse ad omnia ejus inventa

pronuntiat. Verum substantiam mentis hujus numeris et modis confici congeminatis ac multiplicatis augmentis incrementisque per se et extrinsecus partis (1)."

Hac adeo ratione mundi pariter corpus ac animum Deus composuit, quo animantium foret pulcherrimum. Ut autem Deo dignam sortiretur vitam et exemplari illi mundi perfecti similior etiam esset, aeternam, sempiternam rerum universam naturam esse jussit, quantum quidem animanti genito beneficium hoc concedi posset. Itaque Deus tempus excogitavit, quod foret sempiterna aeternitatis effigies. Coeli autem et siderum, solis lunaeque motus temporis dimensiones constituunt. Quare, simul ac coelestia illa divinaque pereant corpora, tempori quoque finis sit. Haec autem non interibunt; et ita mundus revera sempiternus existit (2).

Haec autem de rerum ortu secundum PLATONEM dicta sunto. Jam sententiarum faciamus summam, ut tandem probe sciamus, quod quaesivimus, quo quidem sensu PLATONIS Deus rerum omnium auctor dicatur.

Tria sunt rerum principia eaque aeterna, Deus, Ideae, Materia (3). Materiam vago et incerto motu fluctuantem Deus in ordinem redegit, ad Idearum exemplum conformavit, et Mundum ex ea composuit optimum, pulcherrimum; nam bonus ipse nil

---

(1) APUL. de hab. doctr. I. p. 6. Caeterum PLOTINUS et CHALCIDIUS passim a Deo compositum animum profitentur.

(2) Tim. 37. D. — 38. C. de hac autem quaestione agendi locus magis opportunus erit in OBSERV. *nota* F.

(3) De duobus a nonnullis assumtis principiis vide in OBS. *nota* G.

nisi bona voluit, et omnia bona efficere potuit, cum necessitatem ratione vicerit. Mundo animum animoque mentem indidit. Miscuit animum e naturâ simplici immutabili, atque ex ea, quae, corporibus dividua, mutabilis est. Mundum, tempore invento, aeternum reddidit. Sic, quamvis creatus a summo Deo, divinus tamen et quasi secundus Deus est. Porro summus ille opifex Deos coelestes, divinum astrorum genus, sua voluntate immortales, sibi autem in rebus minoribus generandis administros creavit eâdem fere, quâ mundum, ratione. Denique hominum animos generavit, usus reliquiis ex mixtis mundi animi elementis, minus tamen puris.

Est igitur PLATONIS Deus rerum optimarum aeternarum conditor et opifex, qui suâ voluntate boni definita amore, (διανοίαις βουλήσεως ἀγαθῶν πέρι (1)) ex aeterna confusione aeternum ipse genuit ordinem et mortalia quaecunque quam optime constitui jussit.

Hinc, quod ubivis Deus a PLATONE ὁ Ποιητής, ὁ Δημιοῦργος, ὁ Αἴτιος, ὁ Πατήρ vocatur. — Vani enim sunt, et inanem perdunt operam, quotquot nominum unice rationem habentes, omni studio id egerint, ut distinguendum esse docerent inter Deum Ποιήτην eundemque Δημιοῦργον, atque Deum Αἴτιον, Πατέρα. Quo significare voluerunt, illis nominibus rerum designari Opificem, Conditorem; Conformatorem; his autem Creatorem absolutum πάντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γεννησάντα. Revera autem nil aliud his significant, nisi illud, omnes se intendere vires, ut adamatam sibi nobis obtrudant sententiam, et PLA-

(1) LEG. XII. pag. 967. A.

TONI jure quodam adjudicare censeantur doctrinam, quâ nil a Philosopho summo Graeco alienius. — Quid autem; ubi res satis certae sunt, incertamne sectemur verborum rationem? Quid, quod communem verborum usum isti pervertunt, novo inhiantes, causae, quam audacter tuentur, unice accommodato (1)?

Stat itaque nobis, quam professi sumus, sententia. Illius autem quasi semina apud antiquiores jam invenies Graecorum Poëtas et Philosophos. Causam fere efficientem menti tribuunt, sive illi in materia habitanti, sive extra eam exstanti, patientem autem, ut ajunt, materiae, qualicunque tandem nomine illam insigniant. Jam in Orphica Physiologia sententiae umbra apparet, si tamen fides est habenda iis, quae refert PLUTARCHUS (2). In PHERECYDIS sententia: Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἰς ἀεὶ καὶ χθὼν ἦν, (3) jam magis aperte apparet. THALES, teste CICERONE (4), docuit aquam esse initium omnium rerum; Deum eam mentem, quae ex aquâ cuncta fingeret. Ita materiam rerum posuit in humore, principium causamque nascendi constituit in Deo (5). De PYTHAGORA testatur PLUTARCHUS, ipsi visam esse τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα, θεὸν καὶ τἀγαθόν, ἥτις ἐστὶν ἡ τοῦ ἑνὸς φύσις, αὐτὸς ὁ νοῦς· τὴν δ' ἀόριστον δυάδα, δαίμονα καὶ τὸ κακόν, περὶ ἣν ἐστι τὸ ὑλικὸν πλῆθος (6). ANAXAGORAS, qui ac-

(1) Vide PLUT. Quaest. Plat. II. 1. PROCLUS V. passim.
(2) De def. Orac. 436. D.
(3) DIOG. L. I. 119.
(4) Nat. D. I. 10. Cf. PLUT. plac. Phil. I. 7.
(5) LACT. Div. Inst. I. 5.
(6) Plac. phil. I. 7. Cf. DIOG. VIII. 25. Cf. loci e CLEMENTE et CYRILLO apud WYTTENB. de un. Dei I. p. 387.

cepit ab ANAXIMENE disciplinam, primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit (1). Idem dixit; ὡς εἱστήκει κατ' ἀρχὰς τὰ σώματα, νοῦς δὲ αὐτὰ διεκόσμησε θεοῦ, καὶ τὰς γενέσεις τῶν ὅλων ἐποίησεν (2). Nec qui post PLATONEM vixerunt Poëtae et Philosophi, aliam tuiti sunt sententiam. Celebriores quilibet Deum, aliunde mundi petitis initiis, eum conformasse et composuisse pronuntiant. Sic, ut ad Romanos, Graecorum imitatores, nos convertamus, VIRGILIUS cecinit: (3)

Principio coelum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque, infusa per artus,
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

De CICERONE res est notissima. OVIDIUM quoque novimus, postquam chaos memoraverit, addere: (4)

Hanc Deus et melior litem natura diremit:
Nam coelo terras, et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre coelum:
Quae postquam evolvit, caecoque exemit acervo,
Dissociata locis, concordi pace ligavit.

Jam autem explicite satis PLATONIS de Deo, rerum auctore, sententias retulisse videmur; quare amplam mittimus disputationem. Cum autem passim TIMAEUM ita de Deo loqui audiverimus, ut quam longissime ab inferioribus Diis, ipsius prole, eum

(1) CIC. Nat. D. I. 11.

(2) PLUT. plac. Phil. I. 7.

(3) AENEID. VI. 724.

(4) OVID. Metam. I. 21 seqq.

distinguat, ad illam optime hinc transibimus quaestionem, quae est de *Uno Platonis Deo.*

Reputantibus, quae de barbaris rudibusque gentibus nobis sunt prodita, videatur necesse est, humanum ingenium adeo esse imbecillum, ut sua sponte pronum sit et proclive ad plurium Deorum cultum. Majora fere esse videntur, quae in rerum natura quotidie fieri animadvertuntur, nimisque diversa, quam ut unus eorum auctor haberi possit. Mirandum adeo non est, cultis etiam in populis mansisse antiquitus Polytheismo honorem. Hoc autem mirum semper accidit, philosophos, cum semel supremum omnium, a caeteris longe diversum, invenissent Deum, non eo tandem pervenisse, ut omnia omnino ab uno illo, nullis uso ministris, fieri statuerent. Nam, quod vulgo eatenus ad veritatem non accederent, causae fuere multae. Acrior animi mentisque sagacitas ad illud requiritur. Apud Graecos deinde levis obstitit populi indoles, quâ mirifice poëticae, ab antiquis vatibus, conditae religioni, et faciliori, eidemque splendidiori cultui favebant. Placebat ipsis nova fere quotidie de Diis fingere, primos gentis Heroas cum Diis miscere; poëseos amantes, avebant novis et scitis fabellis Theogonias adornare. Magna proavorum facta, et mythici temporis heroum fata arcte cum Deorum omnium rebus erant connexa, et ab iisdem divinis Poëtis celebrata; accedebat, quod avitam religionem et patrium Deorum cultum strenue leges, tanquam civitatum vincula et imperii firmamenta tuebantur.

Hinc quoque ludi et solemnia sacra; hinc Pythia quondam res Graeciae regere valuit.

Itaque neutiquam miramur, populum errori fuisse addictum: at meliora tamen de Philosophis plerisque sperabamus. Verum ea videtur mentis humanae ratio, ut veritati semel detectae omnem praebeat assensum, divinis autem in rebus suâ sponte vera vix detegere ipsa valeat.

Ne tamen quis ex his concludat, Platoni quoque de uno Deo disserenti eosdem fuisse adamatos, qui caeteris Philosophis, errores. Eo tendunt, quae diximus, ut caveant omnes, ne ab iis se in errorem abripi patiantur, qui ubivis verae hac de re sententiae vestigia, ne dicam aperta indicia, in Graecorum scriptis animadvertere velint; neve optimos quoscunque unius Dei cultores Philosophos meliores suas sententias Hebraeis, aut peculiari summi Numinis curae debere, cum nonnullis somnient.

His omnibus pravis et praejudicatis opinionibus vacui, sed iidem discendi cupidi, Platonis sociis nos denuo immisceamus, et a Socratis optimi ore pendeamus: verum ita, ut memores simus, quod facile interdum oblivisceremur, Graecum nos audire philosophum; memores simus, eâ vixisse Platonem aetate, quâ *τὸν μὲν Ποιητὴν καὶ Πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς ἀδύνατον ἦν λέγειν.*

Unius Dei definitio continetur fere causae rerumque auctoris notione. Hanc autem firmissime Platonis menti insedisse vidimus; quare apte superioribus nova haec connectitur quaestio, quâ explorare decet, quo igitur nomine diversum adeo a caeteris,

quos memorat, Diis naturisque divinis Deum dixerit PLATO, ut jure merito censeatur unum agnovisse Deum.

Et maxime eo ipso, quod e rudi et incondita materia mundum, quaeque mundus continet, creaverit, et omnium omnino rerum auctor sit, eo ipso, inquam, quam maxime a caeteris Diis distinguitur a Platone. Ipse enim e sua voluntate liberâ ad ideas perfectissimas, menti suae inhaerentes, optima quaeque componit et ex materia, motu innato fluctuante, gignit animantia, animorum vi, vita et ratione praedita. Hi autem jussu patris ipsum imitari debent, ut mortalia quaecunque corpora, quantum fieri possit, optime fabricentur; hi itaque necessitatis vim experiuntur, eamque ratione regere debent. Ille mundi corpus componit et animum, hi quatuor animantium genera, quibus quidquid divini insit, ab ipso Deo suppeditatur (1).

Haec Dei creandi facultas exprimitur quoque a SOCRATE, cum *Jovis* nomen HERMOGENI explicat. « Videtur inquit SOCRATES, Jovi quoque aptum nomen datum esse; alii enim Ζῆνα, alii Δία eum vocant. Juncta autem nomina Dei naturam exprimunt: *οὐ γάρ ἐστιν ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ὅστις ἐστὶν αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν, ἢ ὁ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων· συμβαίνει οὖν ὀρθῶς ὀνομάζεσθαι οὗτος, τῷ θεὸς εἶναι, δι' ὃν ζῆν ἀεὶ πᾶσι τοῖς ζῶσιν ὑπάρχει* (2). Vitae itaque auctor dicitur Deus. Et recte omnino. Hic enim est, qui animos componit, atque ideo partem nostram creat, quae vitam alit. Auctoris igitur notione summi Dei

(1) TIM. 41. B—E.
(2) CRATYL. 396. A.

definitio fere absolvitur PLATONI. Quod egregie quoque observavit CICERO, apud quem VELLEJUS « opificem aedificatoremque Mundi Platonis Deum" dicit (1). Hoc etiam nomina indicant, quibus Deum a caeteris omnibus naturis distinguit PLATO. Ille audit Δημιοῦργος, Αἴτιος, Ποιητὴς, Πάτηρ. Minores Dii omnes *θεοί* vocantur. Hic autem observandum, varias esse vocis *θεὸς* apud PLATONEM significationes. Ὁ *θεὸς* notat Deum summum, rerum omnium auctorem; *θεοὶ* plerumque dicuntur Dii ab illo geniti, qui creationis et gubernationis ipsi sunt administri, Sidera, Tellus, Sol, Luna; cum autem Mundus quoque, hoc rerum universum, *θεὸς* vocatur, ejus pulcherrima, optima natura, spectatur; attenditur ad animum; ad corpus ab ipso auctore summo compositum, aeternum, omniaque, divina etiam, complectens.

Auctoris autem notioni illa fere additur a PLATONE, qua Deus summus *Mens* dicitur ratione optima praedita. Sic iis, quae in *Cratylo* de Jovis nomine dixit, addit alia de ipsius origine: Τοῦτον δὲ, Κρόνου *υἱὸν, εἶναι ὑβριστικὸν μὲν ἂν τινι δόξειεν εἶναι ἀκούσαντι ἐξαίφνης· εὔλογον δὲ, μεγάλης τινὸς διανοίας ἔκγονον εἶναι τὸν Δία·* Κόρος *γὰρ* (2) *σημαίνει οὐ παῖδα, ἀλλὰ τὸ καθαρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκήρατον τοῦ νοῦ.* Ἔστι *δὲ οὗτος* Οὐρανοῦ *υἱός ὡς λόγος· ἡ δὲ αὖ ἐς τὸ ἄνω ὄψις καλῶς ἔχει τοῦτο τοὔνομα καλεῖσθαι οὐρανία, ὁρῶσα τὰ ἄνω.* Hunc Jovem si quis Croni filium vocari audiat, ne putet in ipsius contumeliam hoc ita dici. Indicant enim, eum magnae sapientiae

---

(1) N. D. I. 8.

(2) Leg. forsitan: Κρόνος *γὰρ ἔστι κορός τοῦ νοῦ, κόρος δὲ σημαίνει.* Caet.

prolem esse; nam κόρος non puerum, sed puram et integram mentem significat. Cronus autem Urani filius dicitur, quoniam aspectus ad supera recte vocatur οὐρανία ex ὁρῶσα et ἄνω (1). Est igitur ea Jovis natura, ut mens sit omni labe, omni quasi involucro libera, integris instructa rationis viribus; semper coelestia, Verum, Pulcrum, Bonum intuens, eorumque imbuta ideis. — Hinc quod alibi Λόγος ὁ πάντων θειότατος nuncupatur rerum opifex (2). In argumentis quoque, cur Dei sint, Dei natura eo exprimitur, quod Auctor est et Mens omnia exornans. Ex hac enim, revera divinam esse naturam, quae omnia generavit, efficit PLATO. Diserte apud PLATONEM, SOCRATES PROTARCHO rem demonstrat hisce verbis: SOCR. Omnes consentiunt sapientes viri, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς. Quid itaque nos dicimus, mi PROTARCHE? Num his adstipulati mentem et sapientiam admirandam universum regere censemus? PROT. Mentem omnia exornare et regere vel solis, lunae, astrorum docet aspectus, et omnis coeli circuitus. Neque unquam aliter dicam aut sentiam. SOCR. Οὐκοῦν ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἐρεῖς φύσει βασιλικὴν μὲν ψυχὴν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίνεσθαι διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν, ἐν δὲ ἄλλοις ἄλλα καλά, καθότι φιλὸν ἑκάστοις λέγεσθαι. Invenimus igitur quod philosophando quaerebamus: ὅτι νοῦς μὲν αἰτίας ἐστὶ ξυγγενὴς καὶ τούτου σχεδὸν τοῦ γένους (3).

Itaque mentem si cogites rerum omnium causam efficientem et gubernatricem, Deum habes PLATONIS.

(2) CRATYL. 396. B.
(2) EPIN. 986. C. cf. SOPH. 265. C.
(3) PHILEB. 28. D. E. 30. D. E. 31. A.

Pura autem et una integra dicitur mens divina, quod non, ut humana mens, corporis contagione contaminatur, sed Veri, Pulcri, Boni particeps, eorum spectaculo alitur. Age; haec deinceps explicemus, ita, ut ab hoc ordiamur, dein ad illud nos convertamus.

Ut vero plenius PLATONIS sententiam assequamur, sequi, quantum possit, debemus ordinem, quo ipse in philosophando processerit. Ab animo humano semper incepit. Ex animi contemplatione, Dei naturam cognovit. Nos igitur ad PLATONIS de animo doctrinam attendamus. Praecedant tamen quaedam de iis, quae vere sunt, et de iis, quae mutantur semper.

Hoc fere modo disserit in *Timaeo* PLATO. « Si mentis intellectus et vera opinio genere diversa sunt, necesse est, sint res quaedam, quae sensibus a nobis non percipiuntur, sed intelliguntur tantum, cum per se ipsae sint. Si autem eadem habentur, quaecunque corporis sensibus percipimus, certa dicenda sunt. Sed diversa dici debent: nam diversa utriusque est ratio. Ille enim doctrina paratur, haec e persuasione oritur; ille ratione vera, haec absque ratione; ille persuasioni non cedit, haec eâ vincitur; hac omnes homines praediti sunt, intellectu autem Dii, hominum tantummodo pauci. Primum igitur est illud rerum genus, quod semper idem, ortu et interitu caret; quod nec in se aliquid recipit, nec se aliis immittit; nullo corporis sensu prehenditur; mentis cogitationi ejus spectaculo frui licet. Alterum huic simile et nomine idem. Sensibus percipitur; ortum est et interibit in loco quodam, semperque

vario motu ducitur et sustentatur; opinione cum sensu prehenditur (1).

Homo igitur, qui verum cognoscere studet, qualis est Philosophus, primum genus spectat, alterum negligit. Et cum semel animi contemplatione cognoverit sensus esse fallaces, rerum tantum umbras iis percipi, mentem, quantum potest, in se convertit, ut se cognoscat. Mens ita sui intuitu occupata, Veri, Pulcri, Boni delectatur spectaculo, quale antea ne somniarat quidem. Atvero non prorsus sunt nova, quae videt. Meminit, olim sibi divinius etiam spectaculum contigisse. Fuit enim aliquando penes Deos in loco ὑπερουρανίῳ, ubi verum vidit. Res autem, quas mens in se conversa adspicit, maxima similitudine ad veram οὐσίαν accedunt; hinc animus, quae antea vidit, reminiscitur. His totus quantus inhaerens philosophus, eorum instar, qui sacris initiati sunt, animi instituit κάθαρσιν, et καθαρὸς Deo fit ὁμοιός. Veri namque, Pulcri, Boni, alit Ideas, quantum homini liceat, purissimas, et dum eas semper mente versat, vitam agit Deorum beatae vitae similiorem. Hi enim intuentur usque Verum, Pulcrum, Bonum; haec tantum mente tenent. — Verum, quid ago? Nostra nemo, PLATONIS omnes audire cupiunt verba. Sic igitur cum amicis disputantem inducit SOCRATEM: Nonne philosophum σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι, οὐ τῆς μὲν, τῆς δ' οὔ, ἀλλὰ πάσης; — Sic certe dicemus (2). Verum quomodo aliquis talis evadet? — Τοῦτο δὴ, ὡς ἔοικεν, ψυχῆς ἂν εἴη περιαγωγὴ ἐκ νυκτερινῆς τινὸς

---

(1) TIM. 51. D. 52. B.
(2) REP. V. 475. B.

ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος ἰούσης ἐπάνοδον (1). Philosophos enim jure dicimus τοὺς τῆς ἀληθείας φιλοθεάμονας (2). Animum enim, in corpore, tamquam in carcere impeditum, et, ut Glaucum marinum conchyliisque, algisque obsessum, ita ipsum infinitis affectum malis (3) philosophia suscipit, et ab his solvit; ostendit nimirum, ὅτι ἀπάτης μὲν μεστὴ ἡ διὰ ὀμμάτων σκέψις, ἀπάτης δὲ ἡ διὰ τῶν ὤτων καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων. Suadet ergo ab his recedere, et quam maxime αὐτὴν εἰς αὐτὴν ξυλλέγεσθαι καὶ ἀθροίζεσθαι ψυχὴν, atque hoc tantum ἀληθὲς putare, quod mens ὄντως ὂν cogitet. Abstinet adeo animus a voluptate, cupiditate, caeteris hujus generis affectibus, ut, γαλήνην τούτων παρασκευάζουσα, ἑπομένη τῷ λογισμῷ καὶ ἀεὶ ἐν τούτῳ οὖσα, τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδόξαστον θεωμένη καὶ ὑπ' ἐκείνου τρεφομένη, ita vivat, quamdiu in vivis est philosophus, utque post mortem ille ad cognata evectus, malis humanis liber sit (4). Quod lubenter adeo animus se solvi a corpore patitur, facit ἀνάμνησις ἐκείνων, ἅ ποτ' εἶδεν ἡμῶν ἡ ψυχὴ, συμπορευθεῖσα θεῷ; quo fit, ut jam despiciens τὰ φαινόμενα, et ανακύψασα εἰς τὸ ὄντως ὄν, alas quasi recuperet philosophi animus et ad divina ac coelestia evehatur et evolet. Fuit enim aliquando Deorum per coelum secutus beatum chorum, et, ut ipsa Dei cogitatio, mentis pura scientia nutritus, ipsum vidit τὸ ὂν, ipsam adeo justitiam, prudentiam, sapientiam, quae est ἐν τῷ, ὅ ἐστιν ὂν ὄντως (5). Phi-

(1) Rep. VII. 521, D.
(2) Rep. V. 475. E.
(3) Rep. X. 611. D.
(4) Phaedo. 82. E. — 84. B.
(5) Phaedrus. 249. C. D. et 247. D. E.

losophus igitur, Deum, suum aliquando choregum, *τιμῶν τε καὶ μιμούμενος εἰς τὸ δυνατὸν*, ejus indolem exprimere suis moribus studet: nam *ἐνθουσιῶν ἐξ ἐκείνου λαμβάνει τὰ ἔθη καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα, καθ' ὅσον δυνατὸν θεοῦ ἀνθρώπῳ μετασχεῖν* (1), *καὶ ὁμοιοῦσθαι θεῷ* (2), hoc est, *δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι* (3).

Si his poëticum demimus colorem, et fabulae ornatum, haec PLATONIS sententia esse videtur: « in Dei mente ipsum esse Pulcrum, Verum, Bonum; quo magis ea agnoscant homines, et vitae rationem, animumque, ad illa componant, eo similiores Deo fore." Summa tamen, caetera omnia complectens, quaeque una totam Dei mentem definit, est Boni Idea. Haec enim verae rerum indolis et pulcri earum habitûs Deo fons exstitit. Haec eum adduxit, ut lumen et solem crearet. Haec veritatem et sapientiam parit: *Ἐν τῷ γνωστῷ (τόπῳ) τελευταία ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα καὶ μόγις ὁρᾶσθαι, ὀφθεῖσα δὲ συλλογιστέα εἶναι, ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία, ἔν τε ὁρατῷ φῶς καὶ τὸν τούτου κύριον τεκοῦσα, ἔν τε νοητῷ αὐτὴ κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη* (4). Sic in Mundi generatione Bonum quaesivit opificem PLATO.

Ea igitur philosophiae PLATONIS ratio est, ut Deo tribuatur plenum et aeternum Boni, Veri, Pulcri spectaculum, plena horum scientia. Quin imo perfecte horum particeps habetur mens divina, ita ut ejus consilia Bonum semper, Verum ac Pulcrum referant. Hinc, quod *τὸ θεῖον* et *τὸ καλὸν, τὸ ἀγαθὸν*, saepe com-

---

(1) PHAEDR. 252. D. — 253. A.
(2) REP. 613. A.
(3) THEAET. 176. B.
(4) REP. VII. 517. C.

mutantur a Philosopho (1); hinc, quod Deus omnis vitae, morum, et virtutis mensura nobis esse dicitur ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα (2); hinc, quod omnis omnino praestantiae culmen attigisse eum dicit PLATO, qui Deo similis extiterit; hinc, quod summus ille Deus, Rex Universi, Deorum genitor, in circuitu per loca ὑπερουράνια ducit Deorum chorum, et omnia ordinat et exornat, ut vere divinum sit Diis animisque spectaculum (3). Hinc Deus σοφός, homines φιλόσοφοι audiunt (4).

Antiquiores etiam philosophos Deum rerum auctorem optimam dixisse mentem, omnia apto ordine exornantem, supra vidimus. Non tamen sententiam explicuerunt illi. De plerisque ne constat quidem, utrum corpori inclusam illam mentem crediderint, an ab omni materiae accessione liberam. Plurimi priori sententiae addicti fuisse videntur. PLATO autem alteri aperte satis favet. Quod egregie jam animadvertit CICERO, apud quem VELLEJUS de PLATONE: « quod vero sine corpore ullo Deum vult esse, ut Graeci dicunt ἀσώματον, id, quale esse possit, intelligi non potest. Careat enim sensu necesse est; careat etiam prudentia, careat voluptate, quae omnia una cum Deorum notione comprehendimus (5)." Invitus adeo egregiam celebravit VELLEJUS PLATONIS laudem. Nostrum autem jam est inquirere, utrum

(1) Conv. 211. E. Phaedr. 246. D.
(2) Leg. IV. 716. C.
(3) Phaedr. 246. F.
(4) Ibid. 278. D.
(5) Cic. Nat. D. I. 12.

revera hoc nomine vulgari suae aetatis errore vacuus fuerit Philosophus.

In *Reipublicae* libro sexto SOCRATEM inducit explicantem rationem, quam Philosophi in condenda civitate sequuntur. Ante omnia, inquit, ut pictores tabulam, sic ipsi civitatem ab omni macula, et vitiis purgant; dein ad id, quod natura sua pulcrum, justum, temperatum est, respiciunt; humanas virtutes illis comparant, hominumque officia ad illa componunt, et sic naturam vere humanam definiunt, rei indiciis petitis ab eo, quod, cum homini insedit, vel ab HOMERO etiam Dei species et imago vocatur: *ἀπ' ἐκείνου τεκμαιρόμενοι, ὃ δὴ καὶ Ὅμηρος ἐκάλεσεν ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐγγιγνόμενον θεοειδές τε καὶ θεοείκελον* (1). Dei igitur naturam mente et ratione absolvi censuit PLATO. Neque aliter verba cepit LACTANTIUS cum dicit „Plato humanam formam *θεοειδῆ* esse ait (2)." Errare enim omnes, qui ex his conficiunt, LACTANTIUM non in PLATONIS scriptis Deum repperisse corpore vacuum, diserte probant, quae addit LACTANTIUS, SIBYLLAE verba:

Εἰκὼν ἔστ' ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.

Alibi quoque diserte erroribus humani ingenii annumerat. PLATO sententiam, Deum esse animans animo, et corpore praeditum in aeternum conjunctis. *Πλάττομεν οὔτε ἰδόντες οὔθ' ἱκανῶς νοήσαντες θεόν, ἀθάνατόν τι ζῶον, ἔχον μὲν ψυχὴν, ἔχον δὲ σῶμα, τὸν ἀεὶ δὲ χρόνον ταῦτα ξυμπεφυκότα* (3).

Accedit, quod, si corpus quoque dedisset Deo

(1) REP. VI. 501. A. B.

(2) LACTANT. Div. Inst. II. 11. Sic enim lege pro *θεοειδὴν*.

(3) PHAEDRUS. 246. C.

PLATO, dubitandum non est, quin uberrima et doctissima descriptione illud exornasset; memorasset, quomodo exortum, quo motu, qua indole praeditum esset. Sic enim astrorum datâ operâ corpora celebrat, eorumque naturam exponit. Ne quis enim aurem praebeat illis, qui se invenisse in opere de *Republica* locum clamitant, quo PLATO Dei corpus commemoret. En PLATONIS verba: *ταύτῃ μὲν δὴ ἥκιστα ἂν πολλὰς μορφὰς ἴσχοι ὁ θεός. — Ἀδύνατον ἄρα καὶ θεῷ ἐθέλειν αὐτὸν ἀλλοιοῦν, ἀλλ' ὡς ἔοικε κάλλιστος καὶ ἄριστος ὢν εἰς τὸ δυνατὸν ἕκαστος αὐτῶν μένει ἀεὶ ἁπλῶς ἐν τῇ αὐτοῦ μορφῇ* (1). Urgent igitur vocem *μορφῇ*, quam non nisi corpori convenire ajunt. Concedo, quod plerumque ita usurpatur a PLATONE; significat tamen etiam habitum, naturam. Deinde verba *ἕκαστος αὐτῶν* indicant, Platonem hîc de Diis inferioribus loqui. — Quaeritur, utrum recte canant Poëtae, Deos subinde variis indutos formis hominibus apparuisse. Negat PLATO; idem scilicet manere semper Deum contendit. Et toti se opponit apparitionum visionumque errori. Ex his conficere jure videor corpore instructum non somniasse Deum PLATONEM. Ea enim est, ipso teste, corporis natura, ut *ἀεὶ γένεσιν ἔχον*, semper mutetur. Deinde philosophum omnino negare puto, ullâ formâ oculis cernendâ nobis apparere Deum posse. Denique paulo ante non Dei *μορφήν*, sed *ἰδέαν* commemorat (1); haec autem notio corporis naturae plane est opposita. Praeterea absque formae qualiscunque tandem notione mens humana Deum cogitare fere nequit.

(1) REP. II. 381. B. C.
(2) p. 380. E.

Postulat igitur ingenii imbecillitas, ut τὰ νοητὰ αἰσθητικῶς proponantur. Hinc, quod saepius ita de rerum opifice, loquitur PLATO, ut manibus fere eum omnia conformantem diceres.

Nec gravius est, quod afferunt haud ita pauci; scilicet in *Definitionum* libro Deum dici: ζῶον ἀθάνατον: ζῶον autem ubivis apud PLATONEM significare animans animum et corpus habens. —. Verum ante omnia monendum est, non esse germani et modesti interpretis e locis dubiis argumenta petere; usque autem dubitasse viros doctos, an *Definitiones* illae PLATONIS nomen jure prae se ferant. Dein; verbis allatis additur alia Dei definitio, qua dicitur οὐσία ἀΐδιος, τῆς τἀγαθοῦ φύσεως αἰτία. Hac autem nescio, an omnis corporis excludatur notio. Utut est, hoc probant ultima verba, ζῶον hic tantum *vivum quid*, seu *aliquid quod vere est*, notare (1).

Jam diutius singulis inhaesimus locis. Frustra autem disertam sententiae enuntiationem a PLATONE quaerere videmur. Quid enim? si qua alia, haec certe sententia ad patriae religionis et cultûs divini eversionem erat comparata. Talis autem consilii suspicionem, populique indignationem evitare maluit PLATO. Potius igitur est, ut toti viri philosophiae, aut ejus indoli sententiam de Deo corpore vacuo egregie convenire ostendamus.

Corporis ea est natura secundum PLATONEM, ut sensibus percipiatur; Deum autem sensibus percipi negare videtur, cum ipsi quasi opponat τοὺς ὁρατοὺς θεούς (2). Corpori ubivis tribuit PLATO vim in ani-

(1) DEFIN. 411. A.
(2) TIM. 40. D. E.

mum funestam. Sic in *Phaedone* animi carcerem corpus vocat, unde aufugiendum sit philosopho. In *Reipublicae* decimo libro corporis communione pollui et infinitis malis affici animum docet. Corpus pertinet ad rerum genus, τὸ γιγνόμενον μὲν ἀεὶ· ὂν δὲ οὐδέποτε quod semper mutatur. Eum autem eundem semper manere perhibet PLATO (1). Corpus generatur; in Deo nil est, quod genitum sit: nam ante omnem generationem exstitit, ipse ejus auctor. Nullus ipsi motus a PLATONE datur; Necessitas autem, leges materiae postulant, ut omni corpori motus suus sit (2).

Caeterum mecum facere video optimos quoslibet PLATONIS interpretes, quorum testimonia hac in re negligenda non sunt. Rem enim fere non dubiam egregie firmant. Nam ubi optimi quicunque consentiunt, magna gignitur veritatis suspicio; praesertim, cum minime a se invicem pendent, verum multum subinde inter se differunt, et in varias nonnumquam partes abeunt. Operae igitur pretum erit praecipuos ex iis testes citare. — De CICERONE supra diximus. — Disertissime autem de PLATONE APULEJUS: « haec de Deo sentit, quod sit incorporeus (3)." Alibi quoque, cum de Mundo disserens, PLATONIS referre conatur doctrinam, haud male pluribus sententiam illustrat; dicit enim: « Sospitator quidem ille et genitor est omnium, quae ad complendum mundum nata factaque sunt; non tamen, ut corporei laboris officio orbem istum manibus suis instruxerit, sed qui quâdam infatigabili providentiâ, et procul

(1) REP. II. 381. POL. 269. D.
(2) POLITIC. 269. D.
(3) Hab. doctr. Plat. I. 3.

posita cuncta contingat et maximis intervallis disjuncta complectatur." Multis rem probat ALCINOUS. Quaerit, quomodo Deum PLATONIS mentis notione comprehendere, quomodo eum delineare oporteat. Docet igitur ad νοητὰ Deum referendum esse, utpote mentis agentis (ἐνεργοῦντος) auctorem. Ipsum esse ἀκίνητον. « Ἄῤῥητος δὲ ἐστι, inquit, καὶ νῷ μόνῳ ληπτὸς, ἐπεὶ οὔτε γένος ἐστὶν, οὔτε εἶδος, οὔτε διαφορά· — οὔτε ποιόν — οὔτε ἄποιον. — Cognosci ergo debet κατὰ ἀφαίρεσιν τούτων. — E quibus patet, eum καὶ τι ἀσώματον εἶναι." Multa dein adjicit, quare corporis notio a Deo prorsus sit removenda. Haec vero ALCINOO magis, quam PLATONI adjudicentur. Petita sunt e materiae formae, elementorum, quae nos vocamus, naturâ (1). PLUTARCHUS similiter PLATONIS sententiam sic explicat: νοῦς οὖν ὁ θεὸς, χωριστὸν εἶδος, τουτέστι τὸ ἀμιγές πάσης, μηδενὶ παθητῷ συμπεπλεγμένον· mens igitur Deus est, sincera ab omni materiae admixtione, sensuum perpessioni nulli obnoxia" (2). PROCLUS, licet obscurior sit ejus oratio, haud dubie tamen Numen supremum corpore vacuum a PLATONE dici censet. Ita enim de mente rerum omnium opifice disserit, ut non immerito statuas, eum prorsus rejecisse omnem corporeae naturae accessionem (3). CHALCIDIUM etiam his annumerandum putem, cum « ultra omnem substantiam omnemque naturam esse" Deum Platonis, pronuntiet (4). AUGUSTINUS maxime laudat PLATONEM, quod « non dubitet hoc esse philoso-

(1) ALCIN. Introd. C. 10.
(2) PLUT. plac. philos. I. 7. p. 881. A.
(3) In Theol. Plat. V. 15.
(4) Comm. in Tim. p. 267.

phari, amare Deum; cujus natura sit incorporalis. Unde utique colligitur, tunc fore beatum studiosum sapientiae, (id enim est philosophus) cum Deo frui caeperit" (1). Egregie itidem disertissimus ille MAXIMUS, ANTONINI PII aetate Romae philosophus Platonicus, « Ποῦ τοίνυν," quaerit, « τὸν θεὸν τάττωμεν; πότερα ἐν τῷ ἀθροίσματι; ἀλλὰ εὐφημεῖν ἄξιον. Λείπεται δὴ ὥσπερ εἰς ἀκρόπολιν ἀναβιβασαμένους τῷ λόγῳ τὸν θεὸν ἱδρῦσαι κατὰ τὸν νοῦν αὐτὸν ἀρχηγικώτατον. — Τοῦτον μὲν δὴ ὁ ἐξ Ἀκαδημίας ἡμῖν ἄγγελος δίδωσι πατέρα καὶ γεννητὴν τοῦ ξύμπαντος· τούτου ὄνομα μὲν οὐ λέγει, οὐ γὰρ οἶδεν· οὐδὲ χρόαν λέγει, οὐ γὰρ εἶδεν· οὐδὲ μέγεθος λέγει, οὐ γὰρ ἥψατο. Φύσεις αὗται, σαρκῶν καὶ ὀφθαλμῶν συνέσεις· τὸ δὲ θεῖον αὐτὸ ἀόρατον ὀφθαλμοῖς, ἄῤῥητον φωνῇ, ἀναφὲς σαρκὶ, ἀπευθὲς ἀκοῇ, μόνῳ δὲ τῷ τῆς ψυχῆς καλλίστῳ, καὶ καθαρωτάτῳ, καὶ νοερωτάτῳ, καὶ κουφοτάτῳ καὶ πρεσβυτάτῳ ὁρατὸν δι' ὁμοιότητα, καὶ ἀκουστὸν διὰ συγγένειαν, ὅλον ἀθρόον ἀθρόᾳ συνέσει παραγινόμενον. (2) Quae sic interpretatur DAVISIUS: « In utro ergo Deum, de quo agimus, ponemus? An in multiplici illâ congerie? ne Deus ipse siverit. Reliquum est ergo, ut tanquam in arce aliquâ sublimi, in principe intellectu Deum statuamus. — Talem Academicus ille vates patrem et auctorem universi nobis dat; illius tamen nomen non dicit, non enim novit; nec colorem prodit, non enim vidit; neque magnitudinem describit, non enim attigit. Hae enim, similesque, quibus haec conveniunt, naturae corpore sentiuntur, oculis lustrantur: at divina nec videri oculis, nec efferri voce nec tangi corpore, nec auditu potest percipi; quippe quae

(1) De Civ. Dei VII. 8. Cf. 6.
(2) MAX. TYR. Dissert. XVII. 8. 9.

sola illa parte animi, quae pulcherrima, quae purissima, quae perspicacissima, atque praestantissima est, pro ea quae inter utrumque similitudine intercedit et cognatione, cum audiri possit ac videri, tota atque in se ipsam contracta, tota perspicitur".

Attamen in hoc constanti fere interpretum consensu offendit DIOGENES LAERTIUS, qui Deum ad sphaerae similitudinem rotundum fecisse mundum, *διὰ τὸ καὶ τὸν γεννήσαντα τοιοῦτον ἔχειν σχῆμα* e PLATONE refert; addit: *ἐκεῖνον μὲν γὰρ περιέχειν τὰ ἄλλα ζῶα· τοῦτον δὲ, τὰ σχήματα πάντων* (1). Respicit ad verba PLATONIS in *Timaeo: κυκλοτερὲς αὐτὸ ἐτορνεύσατο, πάντων τελεώτατον ὁμοιότατον τε αὐτὸ ἑαυτῷ σχημάτων·* (2) in quibus multi admodum interpretes mirum quantum errarunt, DIOGENES scilicet et alii, vocem *ἑαυτῷ* ad Deum referentes, neglecta nempe illa *αὐτὸ*, quae nobis certissime indicat *σχημὰ ὁμοιότατον αὐτὸ ἑαυτῷ* esse formam, sibi ipsam undique similem, quae circularis sive orbicularis figurae apud PLATONEM est definitio. Idem enim notat fere, quod alibi *τὸ ἐκ μέσου πάντῃ πρὸς τὰς τελευτὰς ἴσον ἀπέχον.* Ex iis, quae addit DIOGENES, fere suspiceris, eum *παράδειγμα* mundi spectasse vocibus *τὸν γεννήσαντα.* Certe illud cum Deo confudit. Alibi etiam duo tantum rerum initia commemorat, Deum et materiam (3). Utut est, alio loco idem ille DIOGENES Deum PLATONIS corporis expertem dicit: *δοκεῖ δ' αὐτῷ τὸν θεὸν, ὥς καὶ τὴν ψυχὴν, ἀσώματον εἶναι* (4).

(1) DIOG III. 72.
(2) TIM. pag. 33. C.
(3) III. 76.
(4) Ib. 77.

Fuit tamen hisce ipsis diebus in Germania par illustre philosophorum, qui, mirum est dictu, in hoc consensere, licet alias fere semper in diversas abeant partes, Platonem Deum suum non ab omni corporea naturâ removisse, sed lumine quodam purissimo ejus formam definivisse (1). Provocant ad verba Platonis, quibus ipsum Bonum Soli, veritatem et cognitionem lumini comparat, atque rerum intelligibilium σαφήνειαν et ἀσάφειαν memorat (2). Facile autem quisque, non plane in Platonis oratione hospes, intelligit, verba tale quid non significare; comparationem institui, qua ipsum Bonum, Boni omnis fons dicitur, atque de perspicua et obscuriore rerum intelligibilium naturâ sermonem esse. Porro in Eri Armenii quoque fabula indicia reperire sibi visi sunt, Platonem lumine quodam Deum insignivisse. Narrat enim redivivus Erus in locis coelestibus lumen cerni ξύνδεσμον τοῦ οὐρανοῦ, οἷον τὰ ὑποζώματα τῶν τριήρων, οὕτω πᾶσαν ξυνέχον τὴν περιφοράν (3). Quomodo autem hinc efficiant Dei externam formam lumine illo contineri, jure miramur. Hujus autem generis omnes sunt, quas afferunt sententiae rationes; metaphoricas sectantur dictiones, imagines poëticas. Quare nos amplius non tenent; praesertim, cum eas refutatas jam videam a viro doctissimo Tennemanno (4).

---

(1) Alter est Plessing, qui sententiam enuntiavit in Opere: « *Versüche über die Philos. des Alt. Alth.* I. 310. seqq. Alter Tiedemann in « *Geist der spec. Philos.* II. 114. seqq. Hic Diogenis quoque testimonio utitur.

(2) Rep. VI. 308. E. seqq.

(3) Rep. X. 616. B.

(4) *System.* III. 153. seqq.

E dictis igitur satis cuique patere arbitramur, PLATONEM Deo suo nullam tribuisse corporis formam, omnemque ab eo removisse materiae accessionem. Quod magnam conciliat Philosopho laudem. Sic enim dignam demum reddidit et veram Deo praestantiam, quâ omnibus, quae creavit, longe major existat. Aegre praeterea, nec nisi acute vereque philosophando Graeci hominis ingenium eo pervenire poterat. Quid enim? Docent ludi et gymnasticae disciplinae Graecis adeo adamatae et aestimatae, quanti habuerint corporis decori honestatem; docent sacrorum ritus, statuae Deorum et munera, quantopere corporis quoque dotibus Deos censuerint Graeci. Attamen non inauditum prorsus est in antiquae philosophiae historia placitum de Deo corpore vacuo. De antiquissimis philosophis haud satis constat. Plerique corpoream Deo immiscuere naturam. De THALETE tamen, ANAXAGORÂ, PHILOLAO Crotoniate dubitare licet. Verum PLATO hac in re magistrum secutus videtur SOCRATEM (1). De EURIPIDE certissime constat, eum Deum credidisse mentem esse puram et a materiâ longe semotam (2). ARISTOTELES an his assensum praebuerit dubitatur, valde tamen id verosimile puto (3). CICERO autem planissime: « Nec vero Deus ipse," inquit, « qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali" etc. (4).

(1) PLUT. plac. philos. I. 7. WYTTENB. disp. Op. II. 390. seqq.
(2) In fragm. EURIP. p. 36.
(3) V. Physic. VIII. 15. Cf. Metaph. XIV. 7.
(4) Tuscul. Quaest. I. 27. vide Dissert. viri erud. van WESELE SCHOLTEN: de Deo Ciceronis *Amstelod.* 1783.

Haud dubie cum viris his egregiis nobilis consensit philosophus SENECA, qui, de Jovis natura agens, multa profert, quae eo tendunt, ut Deum corpore liberum profiteatur. Locus est notissimus, sed, utpote eximius, hic describendus: « ne hoc quidem crediderunt (antiqui vates), Jovem, qualem in Capitolio et caeteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, sed eundem, quem nos, Jovem intelligunt, custodem rectoremque universi, animum ac spiritum, mundani hujus operis dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum Fatum vocare? Non errabis: hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum Providentiam dicere? Recte dices: est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconfusus eat, et auctus suos explicet. Vis illum Naturam vocare? Non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare Mundum? Non falleris: ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, et se sustinens vi suâ" (1). — « Quem in hoc mundo," ita alibi loquitur, « locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod est illic materia, id nobis corpus est" (2). Et paulo ante: « Ratio faciens. id est Deus." Alibi autem omnia quasi complectens ita disserit, ut diserte corpore vacare Deum enuntiet. « Quid est Deus?", inquit; Mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Quid ergo interest inter naturam Dei et nostram? Nostri melior pars animus est; in illo

(1) Nat. quaest. II. 45.
(2) Epist. 65.

nulla pars extra animum, totus ratio est" (1). At ne nimis SENECA nos teneat, dum PLATONEM sequimur. Ad hunc revertamur.

Si absolvere velimus, quantum quidem fieri possit, Dei notionem, quae PLATONIS menti insedisse videtur, dictis etiamnunc addenda est aeterna Dei natura. Etenim ad Dei PLATONIS definitionem hoc etiam pertinet, eum ab aeterno in aeternum esse. Sponte jam exinde hoc conficitur, quod in *Phaedro* animus, omnium rerum primus motor, necessario omni carere initio ac fine dicitur (2). Nam qui primus materiam motu apto civit, rerum auctorem a PLATONE haberi cognovimus. Mens itaque rerum omnium causa ortu et interitu careat necesse est. Vidimus porro Deum, aeque atque Ideas et Materiam rerum inter initia collocari a PLATONE; initium autem, ipso judice, semper fuit; nam ex eo quidquid generatur oriri debet; initium autem ex nullo; caeteroquin initium non esset (3). Nam neque fuit alius, e sententia PLATONIS, a quo Deus unquam creari potuerit. Porro Ideae, quae totam Dei οὐσίαν constituunt, sunt τί τὸ ὂν ἀεὶ (4). Diserte autem sententiam enuntiat in *Timaeo*, cum Deum futurum, Mundum, Deo, qui semper est, opponit: οὗτος δὴ πᾶς ὄντος ἀεὶ λογισμὸς θεοῦ περὶ τὸν ποτὲ ἐσόμενον θεὸν (5). Hinc, quod ipsum Deum non nisi immortalia creare

---

(1) Nat. quaest. praef.

(2) PHAEDR. 245. C. seqq.

(3) PHAEDR. 245. D.

(4) TIM. 28. A. 51. D.

(5) Ib. 34. A.

posse censuit PLATO (1). Est enim ea Dei benignitas et ille perfecti amor, ut omnia sibi semper similia faciat, quantum quidem sinat Necessitas. Ortu itaque cum carere non possent res creatae, fine carere omnia voluit, quibus ipse ortum dederat.

Jam Dei notionem, qualis in PLATONIS dominatur philosophiâ, invenisse videmur. Est enim Mens rerum omnium causa, omni virtute praedita, corpore vacua, aeterna. Dignissima procul dubio divinâ naturâ est definitio; dignissima philosophi ingenio notio.

His igitur absolutis, restat ut de caeteris Diis dicamus, quo pateat, utrum eadem, an diversa a summo Deo eorum natura habita fuerit a PLATONE. Lubet eundem in quaestione ordinem servare, quo in antecedentibus progressi sumus. Quare primum eorum in rebus generandis operam exponere aequum est.

Creandi facultatem et quasi munus sortiuntur a Deo, qui naturam huic rei aptam iis indiderat. At vero mortalia tantum corpora fabricari jubentur; nec ipsorum judicio committitur aut arbitrio modum rationemque creandi definire; praecipit Deus, ut suam imitentur *δύναμιν*, qua ipsos creavit. — Haec enim nobili illa ad Deos oratione, quam summum Numen habuisse PLATO fingit, enuntiantur. Sic enim Pater alloquitur Coelicolas: *θνητὰ ἔτι γένη λοιπὰ τρί' ἀγέννητα. τούτων οὖν μὴ γενομένων οὐρανὸς ἀτελὴς ἔσται· τὰ γὰρ ἅπαντα ἐν αὐτῷ γένη ζώων οὐχ ἕξει, δεῖ δέ, εἰ μέλλει τέλεος ἱκανῶς εἶναι. δι' ἐμοῦ δὲ ταῦτα γενόμενα καὶ βίου μετασχόντα θεοῖς ἰσάζοιτ' ἄν· ἵν' οὖν*

---

(1) TIM. 41. B.

θνητά τε ᾖ τό τε πᾶν τόδε ὄντως ἅπαν ᾖ, τρέπεσθε κατὰ φύσιν ὑμεῖς ἐπὶ τὴν τῶν ζώων δημιουργίαν, μιμούμενοι τὴν ἐμὴν δύναμιν περὶ τὴν ὑμετέραν γένεσιν· quidquid autem divini iis insit, sic narrando pergit, quod Diis simile esse, imperare, justitiamque et vos colere in iis debet; hoc ego quasi semina spargens, tradam, τὸ δὲ λοιπὸν ὑμεῖς ἀθανάτῳ θνητὸν προσυφαίνοντες, ἀπεργάζεσθε ζῶα καὶ γεννᾶτε τροφήν τε διδόντες αὐξάνετε καὶ φθίνοντα πάλιν δέχεσθε (1).

Dii quomodo Patris jussa exsequantur, exponit deinde Plato. E mundo videlicet ignis, aquae, aëris, terrae partes sumunt, quae, animantibus defunctis, eo redirent; eas vinculis firmis ligant; non tamen talibus, qualibus ipsorum corpora erant colligata, sed dissolubilibus omnino (2).

Cernimus adeo serviles quasi operarios. Neque enim confusae indigestaeque materiae moli, ut Pater, ordinem dant, et ad suas ideas compositas formas incutiunt. Sed e corporis partibus alia corpora conficiunt; in quo alterius sequuntur exemplum. Caeterum peritura sunt aliquando, quaecunque fabricantur.

Longe itaque summo Numine hoc in munere inferiores et viliores eos habuisse videtur Plato. Neque Auctoris fere nomen iis convenit. Ceu artifices, hominum caeterorumque animantium componunt corpora; eorum curam, dum pereant, agunt; mortua recipiunt in coelos. Gubernatorum igitur notione eos potius comprehendisse Platonem putem, οἱ κατὰ

---

(1) Tim. 41. B. seqq.

(2) Ib. 43. A. seqq.

τοὺς τόπους συναρχοῦσι τῷ μεγίστῳ Δαίμονι, ut est in *Politico* (1).

Sed magis incerti haeremus, ubi de horum Deorum mente quaerimus. In generando operam eorum respicientes, non potest, quin mentis vires debiliores, ad majora quaecunque minus aptas cogitemus. Cum tamen ubivis tam Deum summum, quam Deos minores beatos, pulcros, sapientes dicat (2) PLATO, eandem videtur tribuisse utrisque mentis praestantiam. Hoc etiam suadet ratio, qua in *Legum* decimo omnia astra Deos esse efficit. Scilicet eorum animos omni virtute instructos bonorum causas esse contendit (3). Nescio igitur fere, quo me vertam. Sed age, consideremus, inquiramus eorum *γένεσιν*. In ea enarranda certiora forsitan dedit Philosophus. — Deus cum Mundum hunc omnia continere vellet, quae in perfecto aeterni mundi exemplari inesse cernebat, quatuor etiam animantium genera creanda esse constituit. Ipse adeo ad divini generis fabricam accedens, ideam ejus ita expressit, ut ex igne maxime ea componeret, quo splendidiora et visu pulcherrima essent. Rotundam mundi iis dedit formam. Animis eorum eum dedit motum, qui idem semper sibique similis est, et in talia semper mentis aciem intendere jussit, eaque sequi (4). Per totum coelum ea distribuit, ut huic verus accederet ornatus. Singulis autem du-

(1) POL. 272. E.

(2) CONV. 195. A. 202. C. 204. A. PHAEDR. 278. D.

(3) LEG. X. 899.

(4) In Graecis est: *τίθησί τε εἰς τὴν τοῦ κρατίστου φρόνησιν ἐκείνῳ ξυνεπόμενον.* Haec explicantur e verbis TIMAEI 36. D.

os concessit motus; alteram, quo in eodem loco circa eadem eodem semper modo ferrentur; alteram, quo circuitu eodem semper per coelum progrederentur. A caeteris motibus libera illa reddidit, ἵν' ὅτι μάλιστα αὐτῶν ἕκαστον γένοιτο ὡς ἄριστον. Hoc ductus consilio, Deus creavit astra non errantia, animantia divina (ζῶα θεῖα), aeterna, quae in eodem semper motu manent; Terram, nutricem nostram, auctorem et custodem diei atque noctis, primum et antiquissimum Deum eorum, quos coelum complectitur: πρώτην καὶ πρεσβυτάτην θεῶν, ὅσοι ἐντὸς οὐρανοῦ γεγόνασι (1).

Ignea natura, forma rotunda, motus varii, nobis sunt indicia animo et corpore constare Deos hos creatos. Hoc etiam diserte declaratur in *Legum* decimo libro, ubi τὰς τῶν ἄστρων ψυχὰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀγαθάς, εἴτε ἐν σώμασιν ἐνοῦσας, sive alio quocunque modo corpora sua pellentes, θεοὺς vocat PLATO (2).

Magnopere adeo a Deo summo differunt, qui totus Νοῦς est. Ad hominum magis naturam accedunt. His tamen multo superiores sunt, quia eorum animi ἐν τοῦ κρατίστου φρονήσει tantum versantur. Corpora sensuum illecebris et corruptela animum non seducunt, nam aeque ac mundi corpus composita sunt (3). Hinc, quod libere Deum sequi dicuntur, cum hic Deorum chorum per locum ὑπερουράνιον ducit, ubi ipsum Verum, Bonum, Pulcrum aspiciunt. Attamen sequuntur tantum; ipse Deus praecedit, omnia ordinans et ita disponens, ut beatissimo spectaculo frui

(1) TIM. 39 E. — 40. C.
(2) LEG. X. 899. B.
(3) TIM. 33. D.

possint Dii (1). Eo etiam minores Dii naturâ suâ Deo summo inferiores sunt, quod illi ortu non careant, neque etiam natura suâ, sed Patris tantum decreto immortales sunt. Deum enim creata Numina ita affantem inducit PLATO: « Haec vos, qui divino satu orti estis, attendite; quorum ego effector sum et pater. Quae a me facta sunt, mea voluntate manebunt indissoluta; quamquam omne, quod vinctum est, solvi potest. Sed non rectum est, illud solvi, quod bene vinctum sit. Vos autem, quoniam generati estis, immortales quidem et indissolubiles non estis. Nec tamen umquam dissolvemini et mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea vobis est major efficaciorque ad vitae perennitatem causa, quam vincula, quibus estis tum, cum gignebamini, colligati (2)."

Quantum igitur Mens, rerum causas et initia tenens, ipsius veri Ideis constans, nec ulla concretione corporeâ affecta, ortu et fine sua natura carens, praestat animo mentis sequenti vestigia in mortalium fabricâ, corpore induto, orto aliquando et, nisi prohibeat Deus, perituro; tantum Deus summus, secundum PLATONEM, inferioribus Diis superior, et natura suâ ab iis diversus est.

Recte tamen minores illi Dii sapientes, beati, boni a PLATONE dicuntur. Sequi enim eos fecit Patrem summum et imitari, atque hoc assequi iis dedit, quia Verum, Bonum, Pulcrum ipsum intueri eos censuit.

Totos itaque quantos a genitore eos pendere arbitratus est PLATO, ministros regi subjectos, at divinâ tamen naturâ ipsius beneficio praeditos.

(1) PHAEDR. 246. E.

(2) TIM. 41. A.

Sed nondum omnia, quae de divinis naturis e PLATONE anquirenda sunt, absolvimus. Aliud etiamnunc celebravit Philosophus divinum genus, non, ut astra, suis motûs vicissitudinibus, ut Sol lumine, ut Terra, fructibus hominibus utile; sed quod medium inter Deos hominesque locum occupans, suae naturae officio utrosque commercio jungit.

PLATO enim, cum Deum hominibus non misceri censeret (1), naturas excogitavit, quarum ope res divinae hominibus, humanae Diis innotescerent. Daemones eos dixit. In *Cratylo* SOCRATEM atque HERMOGENEM de nomine *Δαίμων* disputantes inducit, hoc fere modo: « HERM. Jam eo pervenimus, Socrates, ut de Daemonibus, Heroibus, Hominibus agamus. SOCR. de Daemonibus? — Sed recte dicis, quid ergo nomen denotat? Vide, an aliquid dicam. HERM. Dic tantum. SOCR. Nostine, quosnam Hesiodus Daemones vocet? HERM. Minime vero. SOCR. Num etiam ignoras, quod primum aureum hominum genus exstitisse narrat? HERM. Hoc quidem scio. SOCR. De his itaque dicit:

αὐτὰρ ἐπειδὴ τοῦτο γένος κατὰ μοῖρ' ἐκάλυψεν,
οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι καλέονται,
ἐσθλοὶ, ἀλεξίκακοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων (2).

HERM. Quid autem hoc tibi vis? SOCR. Quod putem, genus illud non auro factum dicere Poëtam, sed aureum vocare, quia bonum et pulcrum fuit. Argumento mihi hoc est, quod nos ferreum genus

---

(1) Conv. 203. A.

(2) Leguntur versus in Op. ac D. 107—111. Additur enim quartus versus: *πλουτοδόται· καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον.* Pro *μοῖρ'* autem jam in codicibus legitur *γαῖ'*, aut *γαῖα κάλυψεν.*

nuncupat. HERM. Vere dicis. SOCR. Ergone illos, qui apud nos boni sunt pariter aurei generis esse dixisset Poëta? HERM: Merito sane. SOCR. Boni vero num alii sunt quam prudentes? (*Φρόνιμοι*). HERM. Iidem certe. SOCR. Daemones igitur dixit, quia *Φρόνιμοι*, sive, ut in antiqua nostra lingua est *δαήμονες*. Quare Hesiodus caeterique poëtae recte omnino docuere, omnes, qui, probi cum sint, fato pereant, egregiam nancisci sortem et honorem, et fieri Daemones, *κατὰ τὴν τῆς Φρονήσεως ἐπωνυμίαν· ταύτῃ οὖν τίθεμαι κἀγὼ τὸν δαήμονα πάντ᾽ ἄνδρα, ὃς ἂν ἀγαθὸς ᾖ, δαιμόνιον εἶναι καὶ ζῶντα καὶ τελευτήσαντα, καὶ ὀρθῶς δαίμονα καλεῖσθαι.* HERM. Et ego, Socrates, valde tibi assentior (1).

A prudentia igitur nomen est Daemonibus; hinc homini prudenti tam vivo quam mortuo conceditur. Neque enim e SOCRATIS verbis, qui PLATONIS tenet dicendi rationem, efficiet, revera homines esse, quos Daemonum nomine celebravit. Scio equidem alios pariter Poëtas ac Philosophos defunctorum animos probos in divinum Daemonum collocare chorum. Attamen de vivo quoque hîc sermo est homine. Nomen porro hîc tantum respicit PLATO; aliis denique locis satis, quid sentiat, declarat.

Atheniensis ille in *Legibus* HOSPES, petente CLINIA, felix Saturni imperium celebraturus, inde etiam felicitatis ejus causam repetit, quod Daemonibus hominum cura esset mandata. Haec enim dicit: « Fama profecto beatae illius vitae fert, ad usum tunc sua sponte omnia parata fuisse. Hujus

---

(1) CRATYLUS 397. D. — 398. D.

autem rei causa talis quaedam dicitur. Novit sane Cronus hominis naturam non eam esse, ut sua vi res humanas gubernans, superbiam injustitiamque cohibeat. Hoc igitur cum reputaret, reges et principes dedit nostris civitatibus; non homines, sed divinioris, meliorisque generis δαίμονας; quod nos hodieque in bubus caeterisque gregibus agimus. Neque enim bubus boves, nec capris capras praeficimus; sed ipsi, melius genus, illos regimus, ταὐτὸν δὴ καὶ ὁ θεὸς ἄρα καὶ φιλάνθρωπος ὢν τὸ γένος ἄμεινον ἡμῶν ἐφίστη τὸ τῶν δαιμόνων, ὃ διὰ πολλῆς μὲν αὐτοῖς ῥαστώνης, πολλῆς δ᾽ ἡμῖν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, εἰρήνην τε καὶ αἰδῶ καὶ εὐνομίαν, καὶ ἀφθονίαν δίκης παρεχόμενον, ἀστασίαστα καὶ εὐδαίμονα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἀπειργάζετο γένη. Similiter Deus hominum cum esset amantissimus, daemonum nobis praefecit genus melius, qui sibi facile nobisque simul nostrum curam gererent, et pacem, pudorem, jurisque uberem aequitatem praebentes, omni a seditione liberarent, beatumque redderent genus humanum." Quibus addit haec egregia egregieque dicta: « Verissime itaque dicitur, civitati, quam non Deus, sed hominum aliquis regat, malorum non esse, nec laborum effugium; sed omni studio nos imitari oportere vitam, quam Crono imperante degerint homines, et immortalis in nobis naturae obsecutos praeceptis, publice et privatim civitatem et domus regere, τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν ἐπονομάζοντας νόμον (1).

Idem curandi et quasi pascendi munus Daemonibus tribuit alter ille Hospes, Eleates in *Politico*. Hic

---

(1) Leg. IV. pag. 713. C. — 714. A.

pariter laetam refert hominum, Deo ipso regnante, conditionem: „τότε γὰρ αὐτῆς πρῶτον τῆς κυκλήσεως ἦρχεν ἐπιμελούμενος ὅλης ὁ θεός, ὡς νῦν κατὰ τόπους ταὐτὸν τοῦτο ὑπὸ θεῶν ἀρχόντων πάντῃ τὰ τοῦ κόσμου μέρη διειλημμένα, καὶ δὴ καὶ τὰ ζῶα κατὰ γένη καὶ ἀγέλας οἷον νομῆς θεῖοι διειλήφεσαν δαίμονες, αὐτάρκης εἰς πάντα ἕκαστος ἑκάστοις ὢν οἷς αὐτὸς ἔνεμεν, ὥστε οὔτ᾽ ἄγριον ἦν οὐδὲν, οὔτε ἀλλήλων ἐδωδαί, πόλεμός τε οὐκ ἐνῆν, οὐδὲ στάσις τὸ παράπαν. Totum primum mundi circuitum providâ suâ curâ regebat Deus, ut nunc ubivis mundi plagae Diis imperantibus sunt distributae. Et animantia gregatim quasi, veluti pastores gregis, sortiti sunt Daemones, quorum singuli singulis ad omnia sufficiebant; ita ut nil rude esset et agreste; nec mutua vorago et rapacitas adesset, prorsus abesset bellum ac seditio (1).”

Beatâ igitur aetate illâ priscâ fuere Daemones, e sententiâ PLATONIS; nec vero dein esse desiere, ipso judice. DIOTIMA, nobilis et diserta mulier, ipsa inter convivas philosophantes accumbens, cum SOCRATE de amore disputat; ejusque vi ac natura explicita, constituit neque Deum neque mortalem tamen esse amorem. Rogante SOCRATE, quid ergo sit, respondet philosopha: « medius est mortalem immortalemque inter Δαίμων μέγας. Omne enim, quod Daemonum habet naturam, inter Deum et mortalem medium est. SOCR. At qualis ejus est vis? DIOT. Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ᾽ ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς

---

(1) POLITIC 271. D. E.

τῶν θυσιῶν· ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι· διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς, καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι· καὶ ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς δαιμόνιος ἀνήρ, ὁ δὲ ἄλλο τι σοφὸς ὢν ἢ περὶ τέχνας ἢ χειρουργίας τινὰς βάναυσος. οὗτοι δὴ οἱ δαίμονες πολλοὶ καὶ παντοδαποί εἰσιν, εἷς δὲ τούτων ἐστὶ καὶ ὁ Ἔρως.
Interpretis et portitoris munere fungitur, ut hominum res ad Deos, Deorum ad homines transmittat; illorum quidem preces et sacrificia, horum vero praecepta et sacrificiorum remunerationes; in mediis autem utrisque versatus universum complet, ut ipsum secum ipso connectatur. Per hunc omnis procedit divinandi ars et omnis sacerdotum in sacrificiis, initiationibus, incantationibus solertia ac diligentia. Deus cum homine non miscetur, sed per hunc Daemonem commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque procedit, et vigilantibus nobis et dormientibus. Et harum rerum peritus vir, daemonius; qui vero aliis rebus studet, sive artibus sive opificiis operam det, mercenarius dicitur. Hi sane Daemones multi et varii sunt, unus autem eorum Amor etiam est (1)."

Perperam omnino agunt, nec PLATONEM intelligunt, qui his efficiunt, philosophum revera Daemonem, Numen quoddam semideum, naturam divinam hominibus majorem credidisse Amorem. Fabulam narrat

---

(1) CONVIVIUM 202. D. — 203. B.

Mantinica vates, et fabulae interpretandae sunt. Hymni fere in Amorem sublimis speciem refert DIOTIMAE oratio. Daemoni comparatur amor, ob vim suam hominibus salutiferam, Deo amicam, quae sacrorum omnium fons est et Origo, beneficiorum maxima causa. Deorum amor hominibus salutis maximae auctor, hominum amor benevolentiae divinae est conciliatrix. Hanc divinam amoris indolem omnes Graeci Poëtae celebrarunt. ANACREONTIS juvenile carmen; PINDARI viriles hymni; EURIPIDIS philosopha Musa; SOPHOCLIS Tragica lyra illam meritis extulere laudibus. Neque eam neglexere Theogoniarum conditores; jam HESIODUS amoris in rerum ortu celebravit operam (1):

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης,
ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
λυσιμελής· πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων
δάμναται ἐν στήθεσσι νόον, καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

At vero, haud minus errant, quibus DIOTIMAE verba indicare videantur, Daemonem PLATONI nil esse, nisi animi affectus, vires aut studia, quibus melior animi pars definiatur. Hi pariter poëticam prorsus negligunt verborum rationem. Minus apte provocant forsitan ad ea, quae de mente humana dixit TIMAEUS: ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε, τοῦτο ὃ δὴ φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἄκρῳ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν ὡς ὄντας φυτὸν οὐκ ἔγγειον ἀλλ' οὐράνιον, ὀρθότατα λέγοντες.

(1) Theog. 116. seqq.

Hanc Deus tamquam Daemonem cuique dedit, quam in vertice capitis inhabitare dicimus animi partem. Haec a terrâ ad coelestem cognationem nos evehit, utpote genus non terrestre, sed coeleste. — Illinc enim, unde animus ortus est, divina vis nos regit. Qui igitur cupidius affectibus indulgent, mortales prorsus evadant necesse est. Qui vero φιλομαθείαν et veritatis studium alit, atque immortalia divinaque sectatur, hic necesse est, veritatem nactus, immortalitatis, quantum pro mortali liceat naturâ, particeps fiat; et, quoniam εὖ μάλα κεκοσμημένον τὸν δαίμονα ξύνοικον ἐν αὐτῷ habet, ipse quam maxime εὐδαίμων evadat. Una autem omnibus cura est, suum scilicet cuique dare victum et motum. Illi vero, quod in nobis divinum est, cognati sunt motus circuitus, quos universi mentis cogitatio instituit. Oportet igitur quemque, hos secutum, circuitus illos mentis nostrae, nativitate turbatos, in ordinem redigere, naturae observatis harmoniâ et motu; atque dein rei intellectae vim intelligentem secundum pristinam naturam adaequare; quo facto vitâ a Diis nobis propositâ, et nunc et in posterum semper fruemur (1)."

Hic quoque δαίμονα mentem vocare videtur, hanc tantum ob causam, quod providâ Daemonis naturâ praedita sit. Nam Daemones, homines Divosque inter, adesse censere Platonem, alibi ex Hospitis verbis certissime elucere puto. Dicit enim in *Epinomide*. « Post Deos, qui oculis cernuntur (sidera, caetera), recenseamus δαίμονας, genus aërium, tertiam

(1) Timaeus. 90. A—E.

mediamque sedem occupans, τῆς ἑρμηνείας αἴτιον. Hos precibus honorare decet, laudandae interpretationis ergo. Conspici non possunt, neque, etiamsi prope nos sunt, nobis apparent. Eximiae prudentiae participes, utpote docili ingenio tenacique memoriâ praediti, cogitationes nostras omnes intelligunt. Pulcrum adeo bonumque nostrum mirifice amant, sed malum oderunt; nam dolore non vacant (1).

Haec autem sententia multis aliis locis confirmari videtur. Sic legislator juvenes optima fide amplecti jubet, quae ad TELEMACHUM apud Poëtam dicuntur:

Τηλέμαχ', ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται· οὐ γὰρ ὀΐω
οὔ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.

Sperare nempe debent, quaedam sibi suggestûrum Deum atque Daemonem, veluti de sacrificiis choreisque praecepta (2). Deorum per loca supercoelestia iter sequuntur quoque Daemones (3). Ubi Deorum laudes in sacris hymnis sint celebratae, Daemonibus quoque preces fundere cum laudibus praecipit ATHENIENSIS HOSPES (4). In *Phaedone* Daemon cujusque fingitur animum, a corpore solutum, in coelestia loca evehere (5).

Saepius denique suum Daemonem memorare solitum fuisse SOCRATEM e PLATONE quoque discimus. In *Theage* maxime de hoc suo Genio disserit SOCRATES. Cum enim DEMODOCUS filium THEAGEM

(1) EPINOMIS 984. E. — 985. B.
(2) LEG. VII. 804. A. Cf. V. 732.
(3) PHAEDRUS. 246. E.
(4) LEG. VII. 801. E.
(5) PHAEDO. 108. B.

SOCRATI in disciplinam dare vellet, hic more suo renuntiabat; scilicet se nil scire ajebat, πλήν γε σμικροῦ τινὸς μαθήματος, τῶν ἐρωτικῶν. Instat DEMODOCUS; juvenes complures recenset, SOCRATIS institutione meliores factos. SOCR. Latet te, mi bone! undenam mihi hoc eveniat. Ἔστι γάρ τι θείᾳ μοίρᾳ παρεπόμενον ἐμοὶ ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον δαιμόνιον. Haec autem vox est, quae exorta semper dissuadet, numquam vero ad aliquid impellit. Sic, ubi amici mihi aliquid communicant, et mihi vox illa accidit, dissuadet, nec facere illud sinit. Testis sit CHARMIDES. Novistis virum probum, GLAUCONIS filium. Hic forte mihi narravit, se stadio certare velle Nemeae. At, statim ubi dicere incepit, vox mihi audita est, et ego dissuasi dicens: interim dum locutus es, daemonii mihi vox illa contigit. Ne itaque stadio curras, moneo. Tum ille, fortasse, inquit, illa significat, me victoriam non reportaturum esse, sed, etiamsi inferior decedam, certâsse proficiet. His dictis, certatum ivit. Verum operae est pretium ab ipso audivisse, quid sibi ex hoc certamine contigerit. — Alia opportunitate TIMARCHUS et PHILEMON, NICIAM interfecturi, a convivio surrexere. TIMARCHUS ad me, Quid censes, Socrates! inquit, vos quidem bibite, ipse ego alio exibo. Si ita contigerit, mox redibo. *Καί μοι ἐγένετο ἡ φωνή*, et, nequaquam, inquam, surges. Mihi enim solitum Daemonium signum dedit. Quievit ille. Paulo post ire parabat et, Eo jam, Socrates! dixit. *Αὖθις ἐγένετο ἡ φωνή*, et iterum eum cohibui. Tertio clam surrexit, me alio animum advertente; et ita profectus, peregit, quod

mortem ei peperit. Quapropter fratri dixit, se jam moriturum esse, quoniam mihi fidem negârat (1).

Similiter alibi, quod a rebus publicis gerendis abstinuisset semper, hanc reddit causam SOCRATES: τούτου δὲ αἴτιόν ἐστιν, ὃ ὑμεῖς ἐμοῦ πολλάκις ἀκηκόατε πολλαχοῦ λέγοντος, ὅτι μοι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται, ὃ δὴ καὶ ἐν τῇ γραφῇ ἐπικωμῳδῶν Μέλιτος ἐγράψατο. Mihi vero hoc a pueris adest; vox quaedam, quae exorta ἀεὶ ἀποτρέπει με τούτου ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε. Haec mihi adversatur, ne res publicas agam. Et pulcre admodum mihi adversari videtur. Nam, novistis, viri Athenienses!, jam dudum mortuus fuissem, si ad rempublicam accessissem, nec vobis aut mihi commodum attulissem ullum (2).

Saepius certe εἰρωνικῶς ita locutus est SOCRATES; Ipsa haec in Apologia verba, ita fortasse dicta sunt. Attamen temere agit, qui ipsam rem ideo rejiciat; nec unquam SOCRATEM, esse daemonium tale, credidisse contendat. Ipsius in *Theage* sermo luculenter rem arguere videtur.

Quod autem ad universam de Daemonibus sententiam attinet, consentiunt fere nobiscum Interpretes. PLUTARCHUS diserte de Platone testatur (3), eum revera Daemones esse perhibuisse. Quod autem alio loco ait: genios esse animos, ortu liberatos et va-

(1) THEAGES. 128. B. — 129. D.

(2) APOLOG. 31. D. E. Cf. porro THEAET. 150. D. — 151. B. PHAEDR. 242. B. C. CICERO. Divinat. I. 54. XENOPH. Memor. I. 1. 4. Hic enim diserte etiam, et serio quam maxime de Daemonio SOCRATIS loquitur. Illud tamen impulisse quoque SOCRATEM, narrat. Explicat a PLATONE dissensum SCHNEIDER, in *notâ* ad locum.

(3) Plac. Philos. I. 8.

cantes corpore, hoc magis ex HESIODI mente dictum esse, ipse indicare videtur. A PLATONE enim quam maxime alienum esse statuere, animos hominum defunctorum daemones fieri, vel hoc evidentissime probat, quod neque in *Phaedone*, neque in *Phaedro*, neque in *Gorgiâ*, neque in *Rei-publicae* libro decimo, ubi animorum post mortem conditionem celebravit PLATO, talis eorum mutationis ulla mentio fit. Nec innumeris illis locis ubi datâ operâ animi inquirit naturam Philosophus, talem ejus vim daemoniam memorat. Porro ubivis, genus Daemonum humano genere melius esse pronuntiat.

In libello quoque de *Mundi animo*, quem TIMAEO Locro adjudicari novimus, Daemones ab hominibus aperte distinguuntur, humanarumque rerum cura iis datur. In fine enim dicit auctor: *ἅπαντα δὲ ταῦτα ἐν δευτέρᾳ περιόδῳ ἁ Νέμεσις συνδιέκρινε σὺν δαίμοσι παλαμναίοις χθονίοις τε, τοῖς ἐπόπταις τῶν ἀνθρωπίνων, οἷς ὁ πάντων ἀγεμὼν θεὸς ἐπέτρεψε διοίκησιν κόσμω, κ. τ. λ.* (1). APULEJUS: « Daemones vero," inquit, quos Genios ac Lareis possumus nuncupare, ministros Deorum arbitratur (PLATO), custodesque hominum ac interpretes, si quid a Diis volunt (2)." Egregie autem, nec a mente PLATONIS diverse idem de Daemonibus disserit in libro, quem *de Deo Socratis* scripsit. Ibi haec habet: « Sunt quaedam divinae mediae potestates inter summum aethera et infimas terras in isto intersitae aëris spatio, per quas et desideria nostra et merita ad Deos commeant. Hos Graeco nomine *δαίμονας* nuncupant; inter terricolas coelicolasque

(1) p. 105.

(2) APUL. de hab. doctr. Plat. L. I. p. 8.

vectores hinc precum, inde donorum; qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias; ceu quidam utriusque interpretes et salutigeri. Per hos eosdem, ut Plato in *Symposio* autumat, cuncta denuntiata, et magorum varia miracula, omnesque praesagiorum species reguntur. Eorum quippe de numero praediti curant singula, proinde ut est eorum cuique tributa provincia. — Quae cuncta coelestium voluntate et numine et auctoritate, sed Daemonum obsequio et opera et ministerio fieri arbitrandum est. — Non est operae Diis superis ad haec descendere. Mediorum divorum ista sortitio est, qui in aëreis plagis, terrae conterminis, nec minus confinibus coelo, perinde versantur, ut in quacunque parte naturae propria animalia. — Proinde ut nos, pati possunt omnia animorum placamenta vel incitamenta; ut irâ incitentur et misericordiâ flectantur, donis invitentur, precibus leniantur, contumeliis exasperentur, honoribus mulceantur, aliisque omnibus ad similem nobis modum varientur. Quippe, ut fine comprehendam, Daemones sunt genere animantia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aëria, tempore aeterna" (1).

Maximus quoque Tyrius datâ operâ inquisivit, τί τὸ Δαιμόνιον Σωκράτους; quâ opportunitate multa in universum de Daemonibus dixit. Nec tamen ex uno Platone pendet ejus oratio. Poëtas maxime intuetur. Haec autem verborum summa est: « Certum est eodem in loco manere Deum, dum coelum regit, omniaque in eo ordinat ac disponit. Ergo immortales quasdam

(1) Apul. de Deo Socratis. p. 45. seq. 48. seq. Cf. August. Civ. Dei VIII. 14—18.

habet potentias, quas Deos secundos vocant, in medio terrae coelique constitutas. Hi minus potentes sunt quam Dii, magis quam homines; Deorum ministri, hominum praesides; Diis proximi, hominum curatores diligentissimi. Maximo namque intervallo mortale ab immortali, et aspectu rerum coelestium, et consuetudine discluderetur, nisi eorum, quos Daemones dicimus, interveniret natura, quae, vinculi instar, eâ, quam cum utrâque habet, cognatione, non aliter quam in harmoniâ quadam, imbecillitatem humanam cum pulcritudine conjungeret divinâ. Non aliter arbitror, quam barbaros videmus ignoratione linguae a Graecis separatos esse; cui rei subveniunt interpretes, qui utrinque accepta verba utrisque deferunt, atque eo modo consuetudine eos conjungunt, miscentque inter se commerciis. Ita ii, quos dixere Daemonas, inter Deos sunt hominesque" (1).

Temeraria admodum, minimeque probabilis videtur viri clar. TENNEMANNI sententia (2). Hic scilicet putat, PLATONEM minime credidisse, esse Daemones; eorum tantum meminisse, ne aperte sese opponere videretur populi opinionibus, religionisque Graecae placitis; quaecunque de iis dicat, lusui magis ingenii tribuenda esse. Sententiam autem suam non multis argumentis comprobatum ivit vir doctissimus. Quod maximum ipsi videtur, nusquam scilicet in *Timaeo* Daemones memorari, nobis, ut aperte falsum, nihili videtur. Caeterum, quin serio

(1) Dissertat. XIV. XV. praesertim XIV. 8. Cf. XVII. 12. Cf. porro de Daemonibus secundum PLATONEM, PROCLUS in Theol. Plat. V. 9. CHALCID. Comm. in Tim. p. 224—229.

(2) *System.* III. 161. seqq.

maxime de Daemonibus disserat Philosophus, nemo dubitet, qui PLATONIS ironiam intelligit, dictionisque observavit rationem, quâ uti solet, ubi assensum fingit, revera autem assentientibus illudit. Unum illum si inspiciamus locum, ubi TIMAEUS vates carpit antiquissimos, qui de multis illis Diis, Terrae Oceanique prole, absurda protulerint (1), manifestum erit procul dubio, longe alium ibi verborum esse dilectum atque usum, aliam dictionis indolem, quam in omnibus iis, quae de Daemonibus disputavit PLATO. Attamen diu mihi non nihil alia placuit sententia. Putabam scilicet, PLATONEM id egisse, ut minus probabilem de Daemonibus doctrinam ipse melius interpretaretur; ita ut mentem humanam cuique idem esse, quod Daemonem vocare solebat populi superstitio, doceret. Verum enim vero omnia, quae attuli loca, conferenti haec quoque minus mihi verosimilis visa est opinio. Intelleximus, nobis accidisse, quod multis haud dubie accidit PLATONIS interpretibus. Dubitaveram, an huic de Daemonibus sententiae faveret PLATO, quoniam illi favere eum nolueram.

Et hic tandem nostrae de Daemonibus disputationi finis sit. Rerum Universi gubernationem distribuit PLATO inter Deos et Daemones, summi Regis ministros; uti in civitatibus humanis suos habet summus Imperans universae Reipublicae partiumque singularum curatores minores. Daemones magis etiam, quam Deos creatos, naturâ suâ, vi ac potestate summo Numine inferiores habuit Philosophus.

Quaeritur deinde, utrum maximus ille Deus, rerum

---

(1) TIM. 40. D. E.

omnium Opifex et Pater, diversus sit a mundi animo. Negat TENNEMANNUS (1). Conjecturis tamen fere innititur ejus sententia, et ex eo, quod esse possit, maxime ad illud, quod sit, concludit. Nobis nusquam indicasse videtur PLATO, se rerum Auctorem mundique animum eundem habere. Nec germani est interpretis, sententiam, quam auctor nullo modo prae se fert, ipsi tribuere, hanc tantum ob causam, quod cum caeteris auctoris doctrinis haud ita difficile conciliari possit, verique speciem habeat. Nec vero etiam multum valent doctissimi TENNEMANNI rationes. Quod enim dicit, in *Timaeo* (2) Deum induci, ipsum mundo motum incutientem, hoc nil probat. Nam a Deo animi quoque originem ducunt, a Deo pendent, ab ipso omnia habent. Revera igitur ipse mundi motûs est auctor. Nec melius sententiae firmamentum accedere putem e notissimis illis locis, ubi HOSPES ATHENIENSIS Deos esse probat (3). Nos ea diu ante explicuimus. Errant omnino, qui putant, PLATONEM, ubi animum mundi, ratione virtuteque praeditum, motûs auctorem adesse probat, de Deo summo loqui. Aperte, in *Epinomide* praesertim, de Diis agit, qui corpore animoque constant, eaque a Deo maximo sortiti sunt. Id tantum agit PLATO, ut adversarii e suis rationibus discant, Deos, quos adorare Graecis religio erat, Solem, Mundum, caeteros revera esse. Facilis hinc sibi suisque patebat via, qua horum Deorum Auctorem et Patrem

(1) *System* III. 181. seqq.
(2) TIM. 34. A.
(3) LEG. X. 897—899. B. EPINOM. 983. A. — 984. A.

deprehenderent. Porro, quod dicit TIMAEUS, mundum necessitatis mentisque vi exstitisse (1), hoc ita interpretatur TENNEMANNUS, ut mente illâ indicentur vires naturae, compositae Ratione eâ, quae in mundo inesse dicitur, revera autem penes Deum est. Hoc enim sibi voluisse videtur vir doctissimus. Verum in mundi corporis ortum vim suam exseruisse non memoratur mundi animus. Deus tantum Opifex ex omni materiâ illud composuisse et suâ mente ac ratione feras temperasse vires dicitur.

Mihi autem haud minima adesse videntur argumenta, quae Deum diversum omnino a mundi animo esse efficiant. Ante omnia in censum venit, quod ubivis in *Timaeo* docet PLATO, ipsum illum animum a Deo creatum esse. Hanc rem uberrime elaborat; studiose adeo anquirit, quâ tandem ratione ejus naturam talem effecerit Deus, qualem nos jam cognovimus; ut nullam ne suspicionem quidem ipse PLATO praebeat, se hic vulgarem tantum hominum sequi opinionem, quam tamen ipse rejiciat. Deinde mundi animum a PLATONE non eundem ac Deum fuisse habitum, hinc quoque constat, quod Mundum Deum, a Deo opifice ubivis disertis verbis distinguit (2); nec tamen mundi corpus Deus dicitur. Denique fabula illa in *Politico* (3), de turbata rerum conversione, ubi Deus regere desistat, omnino mihi probare videtur, putasse PLATONEM aliam inesse in rerum naturâ animi vim, quae aliquamdiu rectâ viâ procedere facit omnia; mox tamen prae

(1) TIM. 48. A.

(2) Inprimis in TIM. 34. B.

(3) POLITIC. 269. D. — 274. B.

impatâ imbecillitate ab ordine et justâ ratione deflectit; quae omni virtute praedita est, quamdiu Deus summus adsit, ab ipso vero derelicta, necessitatis superatur horridâ feritate. Nec obstant Hospitis Atheniensis in *Legibus* verba: ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος (1). Haec enim solummodo summi Numinis potentiam perfectam omnibusque numeris absolutam spectant.

Unanimi praeterea consensu hanc meam sententiam confirmant Interpretes. Omnes fere οὐσίαν a Deo diversam, mundi animum esse testantur. Apulejus « coelestem," inquit, « animum, fontem animorum, omnium optimam, et sapientissimam virtutum esse genitricem, subservire etiam fabricatori Deo, et praesto esse ad omnia inventa ejus, pronuntiat (Plato) (2)." Chalcidius passim rem testatur (3). Alcinous datâ operâ de mundi animo agit, eumque treatum a Deo, longeque ab ipso diversum pronuntiat (4). Plutarchus tantum diserte semel se oppositae sententiae fautorem declarat. Dicit enim, cum e Platone rerum recenset principia, ὁ δὲ θεὸς νοῦς ἐστι τοῦ κόσμου (5). Alibi tamen ad vulgarem accedit opinionem (6); et in libro illo, quem *de animi procreatione in Timaeo* Platonis con-

(1) Leg. IV. 716. A.
(2) De hab. doct. I. 6.
(3) Comment. 97. seqq.
(4) Introd. C. 14.
(5) Plac. philos. I. 3.
(6) Ibidem II. 6. Plat. Quaest. II. 2.

scripsit, ubivis nobiscum facere videtur. Quicunque porro Deum corpore vacuum apud PLATONEM deprehendere sibi visi sunt, a mundo prorsus eum sejungunt, nec, quod de animo dicit TIMAEUS, mundo inditum connexumque crediderunt.

His tandem confecimus, quae de PLATONIS Deo, Diisque minoribus dicenda erant, ut pateret, quo nomine hos illo inferiores, illum ab his diversum prorsus Philosophus habuerit.

Jam igitur, quid ex his omnibus de uno PLATONIS Deo confici liceat, videamus. — Si quaeritur, num divinam naturam, quae generandi vi, mentis ac ratione pulcrâ, verâ, bonâ, immortalitate constet, uni tantum, an pluribus, concesserit PLATO, nullus dubito hoc affirmare, illud negare. Si vero divina natura ea dicitur, quae ab aeterno exstiterit, numquam creata sit, suo mentis corpore purae consilio in rerum creatione utatur, ratione pulcri, veri, boni perfecte participe, praedita omnia ad optimam voluntatem regat, uni tantum Deo hanc tribuisse PLATO censendus est. Hic enim *ἁπάντων Αἴτιος* (1), *μέγιστος θεὸς* (2), *τέλος ἔχει τῆς θείας μοίρας* (3).

Putem equidem PLATONEM unum veri nominis Deum, rerum omnium auctorem perfectissimum, animo coluisse; cum tamen eo indignum censeret ad minima quaeque descendere, sponte suâ incidisse in opinionem, alios ab ipso creatos esse coelicolas, quorum ope et curâ, quaecunque ipse optimo mentis consilio constituerat, in terris efficerentur. Hos igitur

(1) TIM. passim.
(2) LEG. VII. 821. A.
(3) EPINOM. 985. A.

ab hominibus honore et animo pio esse colendos, utpote se, longe meliores, divinae naturae aliquatenus participes, summique rerum omnium Imperantis optimos ministros. Minime tamen ad Patris vere divinam naturam accedere Deos genitos, nec ipsi comparandos esse. Mundi hominumque tantum adesse causâ; mundi hominumque adeo esse Deos; quibus gratiae sunt agendae maximae, quod, optimi rerum auctoris jussa secuti, providâ curâ saluti nostrae consulunt; quorum praeceptis legibusque obsequi par est, quod nobis pleniorem sortiti a Patre sapientiam, ipsum Verum, Pulcrum, Bonum intuentur.

Longe adeo PLATONIS Deus superior est Jove illo, quem antiquiores celebrarant poëtae et philosophi; Dii autem ministri divini, longe inferiores sunt Diis, quos Graeci una cum Jove adorabant. Attamen vero Deo perquam dissimilis est PLATONIS mundi opifex. Quod materiam aeternum rerum principium esse duxit Philosophus, errorum omnis causa exstitit. Hinc, quod a vera Creatoris, perfecta divinae potentiae, puraque Unius Dei notione semper, tamquam a coelo invio, remotus manserit. Nam minora, mortalia, e materia componere Deo indignum habuit; illum autem suo potentissimo sapientissimo consilio, absque omni materiae ope, ea creare dignissimum censuisset. Et si Deum invenisset, qui sua voluntas ad creandum sufficeret, alios certe operis ministros ei non adjunxisset.

Hic subsistere posset mea oratio. Lubet tamen etiam nunc varia quaedam huc afferre loca, in quibus talis, qualem dedimus, Unus Deus a PLATONE celebrari videtur.

Novimus ubique, in libris praesertim de *Republica*, PLATONEM acriter invehi in Poëtas, qui inhonestis et divinâ praestantiâ indignis fabulis atque commentis turpia quaecunque de Deorum ortu et vitae ratione proferant. Hinc, quod eos, ne HOMERO quidem excepto, quem caeteroquin summis celebrat laudibus, e civitate arcendos statuat. Datâ opportunitate autem monens, ne poëtae humanos affectus, dolores, gaudia, usus, Diis tribuant, addit: „εἰ δ' οὖν θεούς, μή τοι τόν γε μέγιστον τῶν θεῶν τολμῆσαι οὕτως ἀνομοίως μιμήσασθαι δεησόμεθα: quod si Deos, ne tamen Deorum maximum indigne adeo effingant, precabimur." (1).

Fabulis deinde illis, quibus primaevorum hominum, Crono imperante, laetissimam sortem festivé admodum et pulcherrime enarrat, non minus huc conducunt. Solus regnat Deus, et sua tantum consilia Diis Daemonibusque exsequi mandat. Ipse omnium bonorum largitor; beatissimae humanae vitae auctor; ipse tanquam hominum erat pastor, quos in pulcra bonaque pascua agebat (2).

Nec alio sensu Deus Deorum Jupiter a CRITIA celebratur in venustâ illâ de insulâ Atlanticâ narratione. Cum enim homines a pulcrâ et felici vitâ ad turpia quaecunque ruere aliquando coepissent, tunc Deus Deorum Jupiter, qui legibus omnia regit, quique talia cernere potest, cum depravari generosam stirpem animadverteret, eosque punire vellet, ut temperantiâ modestiores evaderent, Deos omnes congregavit in honoratissimam ipsorum sedem, unde,

(1) REP. III. 388. C.

(2) Leguntur illae LEG. IV. 713. POLITIC 271. seqq.

tanquam e medio mundi templo, omnia, quae generata sunt, conspiciuntur, vocatoque concilio, sic est exorsus: . . . . θεὸς δὲ ὁ θεῶν Ζεὺς ἐν νόμοις βασιλεύων, ἅτε δυνάμενος καθορᾶν τὸ τοιοῦτον, ἐννοήσας γένος ἐπιεικὲς ἀθλίως διατιθέμενον, δίκην αὐτοῖς ἐπιθεῖναι βουληθείς, ἵνα γένοιντο ἐμμελέστεροι σωφρονισθέντες, ξυνήγειρε θεοὺς πάντας εἰς τὴν τιμιωτάτην αὐτῶν οἴκησιν, ἣ δὴ κατὰ μέσον παντὸς τοῦ κόσμου βεβηκυῖα καθορᾷ πάντα ὅσα γενέσεως μετείληφε, καὶ ξυναγείρας εἶπεν: . . . . . ." (1).

Nominis tantum consonans ratio, quâ θεὸς Platoni vocatur et summus genitor, et ab ipso creatus minister, nonnullos inducere potuit, ut haud multum discrepare censerent Philosophi sententias a vulgari Graecorum superstitione. Saepius apertissime Graeciae illudit Diis. Timaeus contemnit poëtas, qui se Deorum filios jactare sustinuissent, simulque Deos, quos canunt, irridet (2). Socrates in judicio, Meliti accusationem cum diluere videtur, acriter populi notat errores de Diis Deorumque filiis. Sic enim disputat: « Ergone revera putas, Melite, me nullum esse Deum, credere? — Nullum omnino. — Num quis humanas res esse putet, homines vero esse non credat? — Minime vero. — Neque igitur divina opera cum quis agnoscat, Deos ipsos esse negabit. Ipse autem in accusatione concedis, me inducere καινὰ δαιμόνια. Quod si daemonia assumo, necesse est daemones quoque accipiam. Daemones autem Dii sunt aut Deorum filii, spurii videlicet ex Nymphis aut ex aliis geniti. Quis autem filios Deorum esse con-

(1) Critias. 171. C. Deëst, ut notum est, dialogi pars ultima. Loco ex Epist. XIII. 363. B. non utor. Dubius est admodum.

(2) Tim. 40. D. E.

scat, Deos non censeat? Perinde id absurdum foret, ac si quis, equorum hinnulos, et asinorum mulos esse credat, equos autem et asinos neget (1).

Nec obstat, quod saepius ita loquitur PLATO, ut eodem loco summum atque inferiores Deos ipsi habitos fuisse, arbitrari quis possit. Populariter id et e solito loquendi more dictum est. Neque etiam, nisi datâ operâ de Diis ageret, se semper patriae religionis vituperatorem praebere voluit. Quod prudenter ita instituit. Caveant omnes, qui populo velint demere errores ipsi carissimos, ne nimiâ audaciâ et fessinatione inconsultâ infestos sibi continuo homines reddant. Nae rem perdant! Quis porro ex eo, quod ubique Deos, quos rejiciebat, compellet, Deorum veniam ac gratiam imploret, ubi philosophari exordiatur, quis, inquam, ex hoc conficere velit, revera adorasse, et divinis honoribus dignos censuisse fictos illos Deos? Ergone nostros poëtas, Jovis, Apollinis, Musarum cultores dicamus, quod ubivis in carminibus: « Te Jovem compello;" « adsis, Phoebe, precor;" « Musa, fave poëtae," clamitent? Deinde cum Atheniensibus plerumque juvenibus, aut viris principibus disputans PLATO, magistri sortem respiciebat. Quin imo PROTAGORAM sophistam, (et, quanta fuerit sophistarum apud Athenienses existimatio, constat), vel PROTAGORAM sophistam Atheniensium jussu urbe atque agro exterminatum novimus, et libros in concione combustos, in quibus sic posuerat: de Diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere (2). Ac-

(1) APOLOG. 26. E. 27. E.

(2) CIC. Nat. D. I. 73.

cet: egregia viri modestia, et modica de humanâ scientiâ opinio. Ejus animo Socraticum illud « se nil scire" penitus insidebat. Quare ATHENIENSIS ille HOSPES maximâ semper cum cautione de mutandâ patriâ religione et definiendis de Deo sententiis disserit. « Publicas," inquit « privatasque de Diis opiniones, e quibus sacra multis multa exstitere et existent in posterum, legislator, ratione utens, non innovare sustinebit, aut civitati cultum dare, qui et ipse multa incerta habet. *Καὶ μὴν οὐδ᾽ ὧν ὁ πάτριος νόμος εἴρηκε περὶ θυσιῶν ἀποκωλύσει, μηδὲν τὸ παράπαν εἰδώς· ὥσπερ οὐδ᾽ ὂν δυνατὸν εἰδέναι τῇ θνητῇ φύσει τῶν τοιούτων πέρι.* Pessime autem isti agunt, qui manifestos revera nobis Deos praedicare non audent, nec ostendere, aliis Diis non praestari sacra debitosque honores. Ut, si quis nostrum solem, lunamve cum omnia lustrantem viderit, non enuntiat, nec, cum illa honore divino destituta intellexerit, pro virili suâ parte id agit, ut hominibus hoc declaret operamque det, ut illis festi dies et sacrificia celebrentur (1)." Erant denique quaedam in Graecorum cultu ipsi valde probata. Sic de Oraculis Festisque solemnibus honorifice sentiebat. Dicit adeo idem ille HOSPES: « *οὔτ᾽ ἂν καινὴν ἐξ ἀρχῆς τις ποιῇ (πόλιν), οὔτ᾽ ἂν παλαιὰν διεφθαρμένην ἐπισκευάζηται, περὶ θεῶν γε καὶ ἱερῶν, ἅττα τε ἐν τῇ πόλει ἑκάστοις ἱδρύσθαι δεῖ καὶ ὧν τινῶν ἐπονομάζεσθαι θεῶν ἢ δαιμόνων, οὐδεὶς ἐπιχειρήσει κινεῖν νοῦν ἔχων, ὅσα ἐκ Δελφῶν, ἢ Δωδώνης, ἢ παρ᾽ Ἄμμωνος, ἤ τινες ἔπεισαν παλαιοὶ λόγοι, ὅπῃ δή τινας πείσαντες, φασμάτων γενομένων ἢ ἐπιπνοίας λεχθείσης θεῶν, πείσαντες δὲ θυσίας τελεταῖς συμμίκτους*

(1) Epinom. 985. C. D. E.

κατεστήσαντο, εἴτε αὐτόθεν ἐπιχωρίους, εἴτ' οὖν Τυῤῥηνικὰς, εἴτε Κυπρίας, εἴτ' ἄλλοθεν ὁθενοῦν· καθιέρωσαν τοῖς τοιούτοις λόγοις φήμας τε καὶ ἀγάλματα καὶ βωμοὺς καὶ ναοὺς, τεμένη τε τούτων ἑκάστοις ἐτεμένισαν· τούτων νομοθέτῃ τὸ σμικρότατον ἁπάντων οὐδὲν κινητέον: nec si quis novam condat civitatem, aut veterem corruptam restituat, de Diis eorumque sacris et nominibus in civitate sanctis, sana mente si praeditus est, mutabit, quae Delphorum, Dodones, aut Ammonis oraculo, aut antiquis quibusdam traditionibus acceperint homines, qui, acceptis visis inspirationibusque Deorum, sacra solemnitatibus mixta instituerint, sive illa indigena, sive Tyrrhenica, sive Cypria, sive aliundecunque desumta, atque his traditionibus et responsa Deorum et statuas, aras, templa atque sacras agrorum portiones consecrarint. Horum omnium ne minimum quidem mutet legislator. Sed heroem aut Deum quendam partibus singulis praeficiamus, ut statutis temporibus partium conventus fiant, et opportunitatem praebeant cujusque usui inserviendi, seque invicem sacrificando amice excipiant, quo necessitudine adstricti se cognoscant. Majus enim civitati non est commodum, quam quod cives sibi invicem noti sint. Ubi enim alteri alterius in moribus non lux est, sed tenebrae; ubi alter alteri mores suos, vitae rationem, animique sententias callide tegit, ibi nec honores dignis, nec magistratus peritis, nec jus suum cuique dari videas" (1). — Sic idem semper PLATONI erat utile et honestum. Sic utrumque semper spectabat Philosophus.

---

(1) Leg. V. 738. B. — 739. A.

In omni denique PLATONIS philosophia dominatur quasi unius veri nominis Dei, caeteris Numinibus haud comparandi, notio. Huc tendit sublimis ille et verissimus philosophiae finis ὁμοίωσις τῷ θεῷ. Hanc referunt narrationes de animorum post mortem beatissima conditione. Cum hac conspirat Platonica illa de Ideis doctrina. Ad hanc denique ducit ipsa Veri, Pulcri, Boni scientia. PLATONIS ille Deus est:

qui res hominum ac Deorum,
Qui mare et terras, variisque mundum
Temperat horis.
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum (1).

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo (2).

Hic est, quem SENECA dixit: „Custodem rectoremque Universi, animum ac spiritum, mundani hujus operis dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum Fatum vocare? Non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere? Recte dices. Est enim, cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? Non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? Non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, et se sustinens

(1) HORAT. Carm. L. I. C. XII. 14. seqq.
(2) Idem. III. C. IV. 45. seqq.

vi suâ (1)". — « Quaecunque voles illi nomina proprie aptabis, vin aliquam effectumque caelestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera" (2). — « Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, quâ nihil majus excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet" (3).

Talem describit Tragicorum princeps SOPHOCLES:

Ἐν ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστιν θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας (4).

« De hoc," dicit MAXIMUS TYRIUS « in omni opinionum varietate ac contentione, ubique terrarum leges atque sententias convenire cernes, *ὅτι θεὸς εἷς, πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ, θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες θεῷ.* In eo Graecus cum barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto. Nec PLATO hisce diversa decrevit, aut contrarias leges tulit (5). — Nos varios dicimus Deos, quorum tamen *μία μὲν ἡ φύσις, πολλὰ δὲ τὰ ὀνόματα. Ὑπὸ γὰρ ἀμαθίας αὐτῶν, τὰς ὠφελείας τὰς ἑαυτῶν ἑκάστοις ἐπονομάζομεν, ἄλλοις ἄλλη κλῆσις θεοῦ, καθάπερ καὶ τὰ μέρη τῆς θαλάττης, Αἰγαῖον τοῦτο, Ἰόνιον ἐκεῖνο, Μυρτῷον ἄλλο, Κρηταῖον ἄλλο, ἡ δ' ἐστὶ μία ὁμογενὴς καὶ ὁμοπαθὴς καὶ συγκεκραμένη. Οὕτω καὶ τἀγαθὸν, ἓν ὂν καὶ ὅμοιον αὐτῷ, καὶ ἴσον πάντοθεν, ὑπὸ ἀσθενείας τῆς*

---

(1) Nat. Quaest. II. 715. seqq.
(2) De Benef. IV. 311. seqq.
(3) Nat. Quaest. I. 682.
(4) Apud CLEM. ALEX. Protrept. 56. Strom. V. 440.
(5) MAX. TYR. Dissert. XVII. 5.

πρὸς αὐτὸ καὶ ἀγνωσίας, ταῖς δόξαις διαιρούμεθα: nos vero ab eo, quod praestare solent hominibus, diversa singulis eorum, quae est nostra ignorantia, imponimus nomina. Aliter alius Deorum appellatur. Haud secus quam maris partes singulae, alia Aegaeum, Ionicum alia, alia Myrtoum, Cretaeum alia dicitur, cum tamen unicum sit mare ejusdem generis, naturae ejusdem, partibus suis commixtum. Eodem modo bonum quoque, quod unum sibique simile et aequale est undique, pro ingenii imbecillitate nostri, atque ipsius boni ignorantiâ, in opiniones varias distraximus" (1). Vide, quantum e PLATONE suo profecerit egregius auctor, Platonicae philosophiae pariter et dictionis studiosus Interpres.

Et jam, aegre licet, ab hac quoque decedimus quaestione, ut ad aliam cum hac valde connexam progrediamur: quae est, de *Dei summi, unius cura, quâ genita gubernat.*

Vidimus in antecedentibus PLATONEM Deo summo tribuere imperium, Diis caeteris perfectam obtemperandi facultatem, quâ Deum imitentur, et quidquid jubet plene exsequantur. Hanc PLATONIS sententiam recordemur semper necesse est, ubi quaerimus, qualem tribuerit Diis rerum curam. Etenim ita semper disserit Philosophus, ut nullo discrimine omnibus omnino Diis hac in parte parem concedere videatur

(1) MAX. TYR. Diss. XXXIX. 5. Caeterum reliquorum interpretum sententias vide in OBSERV. *nota* H. De trinitate, quam vocant, Platonicâ monebimus in OBSERV. *nota* I.

potentiae et sapientiae praestantiam. Quod tamen ita intelligere debemus, Deum Regem rerum gubernare Universum; Deos ministros partibus singulis praeesse; ita ut iis conferant, quaecunque Deus conferri decreverit. Sic Diis mandat apud PLATONEM rerum omnium Genitor. *κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα τὸ θνητὸν διακυβερνᾶν ζῷον* (1). *Ἀπεργάζεσθε*, inquit, *ζῷα καὶ γεννᾶτε, τροφήν τε διδόντες αὐξάνετε καὶ φθίνοντα πάλιν δέχεσθε* (2). Hinc in *Politico* Dii, a Patre geniti, vocantur, *οἱ κατὰ τοὺς τόπους συνάρχοντες τῷ μεγίστῳ δαίμονι θεοί* (3).

Deus autem, (sic enim narrare PLATONEM novimus,) cum bonus esset, omnia, quae oriuntur, quam optima esse voluit. Hoc fuit initium, haec causa conformati e rudi materiâ Mundi pulcherrimi (4). Hinc, quod *αὐτάρκη τε καὶ τελεώτατον θεὸν* Mundum effecit (5), per omne tempus sempiternum (6); hinc, quod formam, motum aptissimum illi dedit, animumque indidit, animoque mentem, quae motum aleret regeretque totum (7). At vero ne sic quidem rerum gubernationem et curam in posterum missam fecit. Eam esse censuit PLATO rerum creatarum imbecillitatem, ut, nisi adsit Deus, in pejora continuo ruant. Hoc adumbravit fabulâ illâ notissimâ in *Politico*, ubi Dei summi imperio omnia aptissimo

(1) TIM. 42. E.
(2) Ib. 41. D.
(3) POLIT. 272. E.
(4) TIM. 29. E. 30. A.
(5) Ib. 68. E.
(6) Ib. 38. C.
(7) Ib. 34. E. seqq.

ordine contineri, vitamque beatissimam, qualem Crono imperante homines degisse narrant poëtae, contingere omnibus docet Plato; verum, simulac Deus ab imperio recedat, nil suo loco manere, nec suo motu agi; omnia inverso ordine turbis confusionibusque tristissimis pessum ire (1).

Egregia certe et pia est Philosophi haec sententia, qua ad Universi salutem perpetuam Deorum curam requiri autumavit. Idem quoque de hominum sorte ubivis declarat Plato: eos a Diis derelictos pessimam agere vitam. Miseri talis viri conditionem tristissimam egregie descripsit in quarto *Legum* libro: « Quicunque," sic loquitur Hospes, « quicunque superbia elatus, quod pecunia aut honoribus aut corporis forma conspicuus sit, juvenili dementia simul et arrogantia exsultat, quasi duce nullo indigeat, verum ipse jam alios ducere valeat, ille a Deo deseritur; desertus autem, atque hinc aliis ipsi similibus se applicans, petulanter omnia turbat; et, haud nonnullis quidem infimae sortis esse videtur, brevi tamen justam poenam dans, se et domum et civitatem funditus evertit: *ὁ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μαγαλαυχίας, ἢ χρήμασιν ἐπαιρόμενος, ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ, ἅμα νεότητι καὶ ἀνοίᳳ φλέγεται τὴν ψυχὴν μεθ' ὕβρεως, ὡς οὔτ' ἄρχοντος οὔτε τινος ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἱκανὸς ὢν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ· καταλειφθεὶς δὲ καὶ ἔτι ἄλλους τοιούτους προσλαβὼν σκιρτᾷ συρβύττων πάνθ' ἅμα, καὶ πολλοῖς τισὶν ἔδοξεν εἶναι τις, μετὰ δε χρόνον οὐ πολὺν ὑποσχὼν τιμωρίαν οὐ μεμπτὴν τῇ δίκῃ, ἑαυτόν τε καὶ οἶκον καὶ πόλιν ἄρδην ἀνάσ-*

---

(1) Pol. 269. C. seqq.

τατον ἐποίησε (1). — Sic etiam optimos alibi dicit, quos Dii diligunt.

Erant tamen PLATONIS aetate haud pauci, qui aperte negarent, Deos humanarum rerum curam gerere, τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων φροντίζειν. Esse Deos credebant; sed rerum natura, seu sortis humanae ratio, quam non intelligebant, ipsis testari videbatur, omnia casu potius quam divino consilio regi. His igitur ejus qua posset eloquentiae tum copia tum acumine, populari tamen disserendi ratione obviam ivit PLATO. Cum enim adversus ἀθεούς, argumenta, cur Dii sint, afferentem induxisset HOSPITEM, eundem ad illos quoque orationem convertere fecit, qui divinam humanarum rerum curam negabant. — Eorum unum sic alloquitur HOSPES ATHENIENSIS:

« Quod quidem Deos esse credis, nescio an efficiat cognationis quidam cum divinâ naturâ sensus. Sed pravorum et injustorum hominum laeti successus, tam publici quam privati, te ad impiam ducunt sententiam, humanas res a Diis negligi. Nescis autem istos homines revera beatos non esse, perperam tantum carminibus tales celebrari. Cum porro scelestos ad senilem pervenire aetatem, et liberorum liberos in maximis relinquere honoribus intelligas, eosque per ipsa scelera ex ignobili sorte ad regnum et maxima ascendere munera, turbaris mirifice. Intimus tamen ille divinae naturae sensus vetat horum omnium auctores Deos dicere; quare eo delapsus es, ὥστ' εἶναι μὲν δοκεῖν αὐτούς, τῶν δὲ ἀνθρωπίνων καταφρονεῖν καὶ ἀμελεῖν πραγμάτων. Ne igitur haec opinio ad ma-

---

(1) LEG. IV. 716. A. B.

jorem impietatem te protrudat, nos pro viribus eam refutare conabimur." — Clinias et Megillus promtos se dicunt ad hanc Deorum causam agendam. Sic igitur orditur Hospes: « Non erit fortasse difficile demonstratu, Deos minimarum aeque et maximarum rerum curam habere: siquidem supra vidimus, eos, boni cum sint, omnium rerum curam sibi aptam sortiri. Age itaque, quae sit eorum virtus, quaeramus. Τὸ σωφρονεῖν νοῦν τε κεκτῆσθαι φαμὲν ἀρετῆς, τὰ δ' ἐναντία κακίας; Clin. Et, maxime quidem sic dicimus. Hosp. Numquid negligentiam, segnitiem, otiosam mollitiem, animi vocamus virtutem, an contra? — Clin. Contra omnino. Hosp. Mollis, segnis, negligens, fuco ignavo similis, ut ait Hesiodus, nonne nobis vili penditur? Clin. Recte dicis. Hosp. Non igitur de Deo dicendum est, ei tales esse mores. Mens autem, cui convenit agere et curare, num magna curabit, parva contemnet? Ita rem consideremus. Vel totius nil interesse putat, si parva negligantur, vel piger est et socors, qui negligit. Nam, qui imbecillitate impeditur, quominus et magna et parva curet, negligens dici nequit. Dii autem sciunt, vident, audiunt omnia, nil, quod sensu aut intellectu percipitur, eos fugit. Clin. Nil omnino. Hosp. Possunt deinde omnia facere, bonique, imo optimi sunt. Clin. Sunt certe. Hosp. Nullâ ergo pigritiâ, nullâ socordiâ capiuntur. Quamobrem hae negligentiae causae iis non sunt. Relinquitur ergo, eos parvas res negligere, quia eas contemnendas esse sciant; nam prae ignorantiâ, aut quod ipsis odiosum sit, Dii providam non negligunt curam. Res autem humanae cum animo ejusque naturâ

connexae sunt. Et ipse homo omnium animantium Dei cultor est diligentissimus. Omnia porro animantia mortalia, aeque atque universus mundus Deorum sunt possessio. CLIN. Sunt procul dubio. HOSP. Quapropter, sive quis parva haec, sive magna Diis judicet, neutiquam bonis illis et providis curatoribus negligenda est sua possessio. Sed hoc praeterea consideremus. CLIN. Quidnam? HOSP. Parva difficilius sensibus prehenduntur, quam magna; facilius autem feruntur, tenentur, curantur. Quid vero? Cum medicus totum corpus sanare vult, ac potest, si magnis providerit, parva neglexerit, an huic bene unquam totum se habebit corpus? CLIN. Minime vero. HOSP. Nemo certe, nec navis gubernator, nec dux exercitûs, nec paterfamilias apte magna reget, parvis spretis. Caveamus autem, ne Deum his viliorem censeamus. Hi quanto peritiores sint, tanto diligentius magna simul et parva elaborant. Deumne autem sapientissimum, quique curare vult ac potest, parva, quae facilius gubernari possunt, negligere dicemus? CLIN. Nequaquam hanc admittamus, Hospes! de Diis opinionem. Impia enim nec vera est. HOSP. His itaque dictis coëgimus illum, qui Deos negligentiae accuset, nobis assentiri. Jam vero persuasionem addere lubet. Juveni ergo persuadeamus, esse ei, qui universum regat, ad salutem et optimam ejus conditionem omnia composita, quorum quaeque pars pro viribus patitur agitque quod convenit. His praefecti sunt, qui vel minima quaeque ad finem usque peragant. Quorum una tua etiam, miserrime!, pars est, quae ad Universum tendit, quamvis parva admodum sit. Te vero latet, ὡς γένεσις ἕνεκα ἐκείνου

γίγνεται πᾶσα, ὅπως ἂν ᾖ τῇ τοῦ παντὸς βίῳ ὑπάρχουσα εὐδαίμων οὐσία, οὐχ ἕνεκα σοῦ γιγνομένη, σὺ δὲ ἕνεκα ἐκείνου. Omnis enim artifex cunctorum gratia singula facit, et ad communem omnium perfectionem ea dirigit. Tu autem moleste fers, quia ignoras, quo modo, quod tibi optimum est, Universo simul et tibi conveniat. Sed quoniam animus variis deinceps corporibus coniungi omni modo mutatur, nil rerum Gubernatoris, tamquam talos iacienti, restat, nisi meliores mores in locum meliorem, deteriores in deteriorem transferre, ut singula congruam sortem consequantur (1).

Αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν, o iuvenis, qui te negligi a Diis putas! pejorem quemque ad pejores animos deferri, meliorem vero ad meliores proficisci, et cum in vita est, et in omni morte, patique ea atque agere, quae similes similibus facere oportet. Hanc sortis distributionem ne tu aut alius quis e miseris effugere se posse glorietur. Hanc omnium firmissime constituerunt Dii, eamque timere quisque debet. Non enim ipse in illa omitteris, nec si ita parvus sis, ut in terrae lateas cavernis, nec si sublimis factus in coelum eveharis; sed aptas dabis poenas sive hic maneas, sive ad inferos profectus, sive ad remotiora etiam et invia loca delatus sis. Eadem quoque ratio erit de illis, quos tu sceleribus pollutos ex ignobili loco ad honores evectos videns, putas e miseris beatos factos; quorumque in factis, tamquam in speculo, Deorum cernere circa omnia negligentiam tibi videris; nescius quomodo illa ad

(1) Leg. X. 900. C. — 903. E.

Universum conferant; quod tamen qui nescit, nec vitae rationem intelliget unquam, nec dicere poterit de vitae felicitate aut miseria (1)."

Ipsam omnino hoc sermone notavit PLATO impii erroris originem. Omnia, quae fiunt in rebus humanis, suis votis, suis consiliis, suae, quâ gloriantur, sapientiae convenire temere volunt homines. Cum autem contraria eveniunt, non humani ingenii imbecillitatem, aut mentis stultitiam accusant, quae alia eventura conjecerat; non sapientiorem divini Numinis jam perfici voluntatem intelligunt: sed clamitant continuo, nullum Deum res regere humanas, quia Deo non placuerit, quod ipsi expetebant. — Egregie autem Deorum providam curam exposuit hic HOSPES. Verissime Universi per partes salutem, consilium Curatoris optimi dixit. Maxime quoque comprobandae videntur rationes, quibus demonstrare suscepit, revera talem Deos agere curam.

Quinam autem fuerint negligentiae divinae assertores illi, quos carpit HOSPES, non patet. Nullâ PLATONIS aetate erat Philosophorum schola, in qua talem profiteri impiam sententiam docentes audebant. Attamen fuere forsitan aut Sophistarum nonnulli, aut ARCHELAI deteriores discipuli, aut ARISTIPPI male seduli auditores, qui turpi errore se infectos ostenderent. Novimus praeterea EPICURUM aperte docuisse, Deorum beatam sortem eo contineri, quod negotiis affectibusque omnibus omnino vacui essent; perperam igitur Providentiam mundi iis tribui. Censuit enim, quod aeternum beatumque sit, id

(1) LEG. X. 904. E. — 905. C. Cf. de cura Dei EPIN. 985. B.

nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri; itaque neque ira neque gratia teneri, quod, quae talia essent, imbecilla essent omnia (1). Unde Dei vitam ita describit apud CICERONEM VELLEJUS; „est ea, qua nil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus: nulla opera molitur; sua sapientia et virtute gaudet; habet exploratum, fore se semper cum in maximis tum in aeternis voluptatibus" (2). Haec EPICURI fautor. Quanto melius PLATO divinae naturae praestantiam in Mentis ἐνεργείᾳ quaesivit, illam fere hac definivit! Sic enim, cum Universum, seu naturam ordine optimo regi et gubernari animadverteret, Deo sapientiam dedit, quae est scientia optimi. Praesertim ex animi humani praeclara indole, a mente divina indita et ad hanc conformata, sibi descripsit justitiam illam Deorum, caeteras virtutes quasi complectentem, qua rebus humanis optime consulunt; et Boni invenit Ideam, quae una Deum definit; qui, cum ipse Bonus esset, omnia semper sibi similia esse voluit.

Sapientiam Dei diximus. Hanc enim ad divinam pertinere naturam PLATO in *Phaedro* docuit, ubi homini nomen Philosophi convenire perhibet, Deum unum sapientem dicendum esse (3). Haec autem mentis divinae vis et facultas facit, ut bene rerum gerere curam possit. Scientia enim optimi dat utilem agere

---

(1) CIC. Nat. D. I. 17.

(2) CIC. Nat. D. I. 19. Cf. LUCRET. V. 157. seqq. DIOG. X. passim.

(3) PHAEDR. 278. D. Cf. CONV. 204. A. EPINOM. 985. A.

operam (1); hujus defectus hominibus errorum et malorum fons est; nam nemo malus esse cupit, sed propter ignorantiam, cum bona vult, mala eligit (2). Deus autem scientiâ illâ ac sapientiâ praeditus, omnia ita fieri curat, ut Universi saluti inserviant (3). Hanc praedicant solis, lunae, astrorum circuitus et totius coeli aspectus (4).

Πᾶσα δὲ ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται (5). Hoc igitur cum censeret Plato, Deum non tantum sapienter, sed juste praesertim Universum et singulas res curare perhibuit. Est e sententiâ Platonis justitia illa virtus, quae suum cuique tribuit. Itaque a justo Deo alienum est, per munera ab iniquis flecti et corrumpi (παραιτητοὺς θεοὺς εἶναι τοῖς ἀδικοῦσι δεχομένους δῶρα). Hoc in Legum libro decimo adversus impios homines tuetur Philosophus. „Age igitur" sic causam agere orditur Hospes, „quomodo exorabiles adeo nobis fiunt, et quinam, aut quales sunt Dii? Necesse est, ut sint gubernatores, qui Mundum totum regere non desistunt; ἄρχοντας μὲν ἀναγκαῖον αὐτοὺς εἶναι, διοικήσοντάς γε τὸν ἅπαντα ἐντελεχῶς οὐρανόν. — Clin. Verissime dicis. Hosp. Quibusnam autem similes, aut quinam custodes ipsis similes sunt? Nam custodiâ indigemus in perpetuâ malum inter et bonum pugnâ. Nobis autem opem praestant Dii daemonesque; sed perdunt nos injus-

(1) Alcib. II. 146. B.
(2) Protag. 345. E. Cf. Gorg. 468.
(3) Leg. X. 903. Cf. Epin. 983. A.
(4) Phileb. 30. C. Leg. X. 896. D. seqq.
(5) Menexen. 246. E.

titia, intemperantia et imprudentia; salutem afferunt justitia, temperantia, prudentia, quae in Diis sunt. Animi igitur quidam injusti in terra facti, ceu ferae adversus custodum animos exsurgunt, et persuadere perhibent pravi homines, verborum lenociniis, et deprecatione per cantus ab iis impetrari, ut liceat impune injuste agendo ceteris praevalere; ἃ δεῖν πλεονεκτοῦντας φασιν ἐν ἀνθρώποις πλέον ἔχειν, οὐδὲν χαλεπόν. Quicunque ergo Deos dicunt injustis veniam dare injuste agendi, dummodo illis ex injuriis lucri quid rependant, canibus eos similes faciunt, qui greges a lupis diripi patiuntur, dummodo sibi rapinae pars concedatur. Clin. Bona verba quaeso: Quomodo talia dici queunt? Hosp. Sed nonne omnium custodum optimi nobis Dii sunt, et maxima curant? Clin. Merito sane. Hosp. Num igitur eos, qui rerum optimarum curam gerunt, et virtutis custodia excellunt, canibus hominibusque mediocribus dicemus deteriores, qui justitiam haud prodent, impiis muneribus ab injustis hominibus corrupti? Clin. Minime vero; neque ferenda haec sunt. Qui talia mente agitat, pessimus omnium, et maxime impius habebitur" (1).

Non igitur spe lucri, quae tantopere Platonis aetate in judiciis valuit, semperque valet, injustis peccandi impunitatem et peccatorum veniam a Diis dari, fas est credere secundum Platonem. Obstat incorrupta Deorum justitia; nam θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος (2). Hanc quoque divinae naturae praestantiam se exserere Plato exis-

(1) Leg. X. 905. D. — 907. B. Cf. Rep. II. 365. D. seqq.
(2) Theaet. 176. B.

timabat, dandis virtuti praemiis, sumendis de impietate poenis tam in hac, quam in altera vitâ. Cum GLAUCONE SOCRATEM de his disputantem inducit. Ipsam virtutem, ipsam justitiam optimum esse animo praemium, injustitiam poenam contendit; accedere tamen quaedam a Deo. « Deum enim justus et injustus non latent; quare hic odio ipsi habebitur, ille amabitur: (ὁ μὲν θεομισὴς ἂν εἴη, ὁ δὲ θεοφιλής). Deorum autem amico omnia, quae ab iis eveniunt, quam optima contingunt, nisi malum quoddam e priore peccato necessarium adsit. οὕτως ἄρα ὑποληπτέον περὶ τοῦ δικαίου ἀνδρὸς, ἐάν τ', ἐν πενίᾳ γίγνηται ἐάν τε ἐν νόσοις ἤ τινι ἄλλῳ τῶν δοκούντων κακῶν, ὡς τούτῳ ταῦτα εἰς ἀγαθόν τι τελευτήσει ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι· οὐ γὰρ δὴ ὑπό γε θεῶν ποτὲ ἀμελεῖται ὃς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι καὶ ἐπιτηδεύων ἀρετὴν εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ ὁμοιοῦσθαι θεῷ: Sic sane censendum est de justo viro, sive pauper evadat, sive morbis laboret, sive alio quocunque malo afficiatur, haec ipsi, aut viventi aut mortuo, tandem in bonum cessura. Non enim Dii aliquando illius curam remittunt, qui cupiat justus evadere, et virtutem quaerens studeat, quantum homini liceat, Deo similis fieri. De injusto autem contraria sentienda sunt. Et hoc modo etiam se habent praemia, quae justo et injusto ab hominibus contingunt. Verum tamen haec omnia ne comparari quidem possunt iis, quae defunctum utrumque manent (1)." — Haec enarrat deinde ERIS illius Armenii fabulâ, qui ad Inferos delatus, ibi varias cognoverat animorum sortes.

---

(1) REPUBL. X. 612. E. — 614. A.

« Animus" inquit, « corpore solutus una cum multis in locum diviniorem venit. Ibi duo sunt in terrâ, iisque e regione oppositi duo in coelo hiatus. Medii inter hos judices sedent, qui latâ sententiâ justos judicii signa in parte anteriore ferentes ad dexteram sursum ablegant; injustos, signis post terga allegatis, ad sinistram deorsum demittunt. Circuitus animorum fit mille annis. Qui mala commiserunt, centenis quibusque annis puniuntur, ut malefacta decies luant, si in alios caede injustitiaque saevierint. Eadem ratione boni benefactorum praemia decies accipiunt" (1). Hanc animorum sortem Deorumque de illis curam in *Phaedone* quoque egregie descripsit SOCRATES, ipse jamjam illorum consors futurus. « A Geniis in certum locum deducti animi ibi judicantur. Qui mediocriter se in vita gesserunt, malefactorum poenas ita dant, ut simul purgentur ac sanitati restituantur; benefactorum autem praemia accipiunt. Qui majora, sed sanabilia tamen peccata commiserunt, veluti homicidae et parentum violatores, gravioribus suppliciis vexantur; a quibus non antea liberantur, quam iis, quos injuria affecerunt, satisfecerint et persuaserint. Qui vero insanabilia peccaverunt, multis et injustis caedibus patrandis, hi in Tartarum conjiciuntur, ex quo numquam liberantur. Denique ii, qui sancte vixerunt, veniunt in coelestem regionem; et imprimis ii, qui vere sunt philosophati, semper ibi habitant, nec umquam in corpora redeunt. Caeterum haec beatorum habitatio est quidem in ipsâ hac terrâ, sed in sublimi ac

(1) REP. X. 614. B. seqq. WYTTENB. de AN. Immort. Op. II. p. 594.

coelesti loco. Nam quod nobis aqua est, hoc ipsis est aër; quod vero nobis aër est, hoc ipsis est aether; ibi omnia sunt puriora, dilucidiora, ac subtiliora; acutioribus sensibus sunt praediti, majore intelligentiâ valent, et propiore Deorum consuetudine fruuntur" (1).

Talis justitiae vindex Deus describitur quoque a PLATONE in *Legum* libro quarto. Spectant tamen ejus verba ad hanc vitam. « Deus," inquit, « ut antiqua fert fama, principium, medium et finem rerum omnium tenens, omnia lustrans, secundum naturam suam recta peragit. Hunc semper comitatur ultrix Justitia, puniens, qui a divinâ lege desciverint. *Ὁ μὲν δὴ θεὸς, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείαν περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος· τῷ δ' ἀεὶ ξυνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός*" (2). Neque alius est « Deorum Deus Jupiter, legibus imperans, qui cum, talia cernere valens, humanam generis miserrimam conditionem intellexisset, poenam ab iis sumere instituit, ut sedati magis prudentesque existerent: *θεὸς ὁ θεῶν Ζεὺς ἐν νόμοις βασιλεύων, ὥτε δυνάμενος καθορᾷν τὰ τοιαῦτα, ἐννοήσας γένος ἐπιεικὲς ἀθλίως διατιθέμενον, δίκην αὐτοῖς ἐπιθεῖναι βουληθεὶς, ἵνα γένοιντο ἐμμελέστεροι σωφρονισθέντες· κ. τ. λ.*" (3).

His autem patet PLATONEM, ut omnem Deorum justitiam, ita etiam illam, quae poenas praemiaque distribuit, ad salutem tum universi, tum hominum praecipue retulisse. Pariter enim atque in creatione,

---

(1) PHAEDO 107. E. 111. C. WYTTENB. l. c. 593.

(2) LEG. IV. 715. E. 716. A.

(3) CRITIAS fine.

sic etiam in rerum gubernatione spectavit, ut omnia ὅτι κάλλιστα existerent. Boni igitur, pulcri, verique amore, qualis in Deo Bono inest, curae quoque divinae rationem fere totam expressit et definivit PLATO. Quia bonus est, ordinem et salutem omnium rerum a se creatarum respicit, iisque suâ curâ consulit. Mala autem turbant; malorum adeo, quae hominibus contingunt, auctor Deus esse nequit; sed bonorum tantum. Hac de re SOCRATEM cum ADIMANTO disserentem licet audire. ADIMANTUS scilicet enarraverat sententiam eorum, qui injustitiam justitiâ jucundiorem atque utiliorem saepe putantes, injustisque Deos multa concedere bona arbitrati, quin imo ipsos injusta multa facere a Poëtis edocti, justitiam malum, injustitiam bonum censebant. Vetat igitur SOCRATES talia juvenibus in civitate enarrare, utpote impia moribusque noxia. « Talis," inquit, qualis est, describendus Deus est, quomodocunque fiat. Nonne autem bonus Deus est? ADIM. Est procul dubio. — SOCR. Quid? quod nullum bonum noxium est? ADIM. Nullum, ut opinor. SOCR. Quod non nocet, numquid mali facit? ADIM. Non facit. SOCR. Quod autem nil mali facit, nullius mali causa est. ADIM. Qui enim esse possit? SOCR. Bonum tamen ad aliquid conducit. Erit igitur beatae sortis (εὐπραγίας) causa. Quare non omnium causa est, sed eorum tantum, quae bonâ beataque conditione utuntur. ADIM. Rectissime dicis. SOCR. Οὐδ' ἄρα ὁ θεός, ἐπειδὴ ἀγαθός, πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος· πολὺ γὰρ ἐλάττω τἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῖν. Καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν

οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον; τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν. Neque igitur audiendus est HOMERUS, cum duo dolia commemorat, quae

κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Κηρῶν ἔμπλειοι· ὁ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ὁ δειλῶν.

Neque ad juvenes Aeschyleum illud dici sinemus:

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

Sed si quis Niobes, Pelopidarum, aut Trojae fata, vel similia celebret, non magis haec Deorum opera dicenda sunt, quam juramentorum et foederum ruptiones et confusiones, quas Pandora effecit, Minervae Jovique sunt tribuendae. Aut si illa revera Deum auctorem habent, illum puniendo salutem attulisse hominibus asserendum est. Miseros autem esse, qui poenas dent, et Deum sic eos affligere, ne quis edicere sustineat. Deum enim malorum esse auctorem, omni studio refutare debemus, nec permittere talia dici in civitate, ὡς οὔθ' ὅσια ἂν λεγόμενα, εἰ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὐτοῖς. ADIM. Hac in lege ferendâ omnino tibi suffragor; mihi quoque egregie placet. SOCR. Haec igitur una erit legum de Diis ferendarum, quâ oportebit, τοὺς λέγοντας λέγειν, καὶ τοὺς ποιοῦντας ποιεῖν μὴ πάντων αἴτιον τὸν θεὸν, ἀλλὰ τῶν ἀγαθῶν. (1)"

Maximorum igitur bonorum auctor Deus habetur a PLATONE. Sic Deus sapientiam omnem hominibus largiri dicitur. « Est enim scientia quaedam," sic disserit, « qua qui praeditus est, non solum vi-

(1) REPUBL. II. 379. A. — 380. C.

detur, sed est etiam sapiens. Illa, quae numerum dedit generi mortali, hoc efficit. (ἡ τὸν ἀριθμὸν δοῦσα παντὶ τῷ θνητῷ γένει τοῦτ᾽ ἂν δράσειε.) Deum autem magis quam casum quendam, hoc beneficio dato, saluti nostrae consuluisse putem. Quemnam autem Deum dicam, paucis exponam. Omnium enim bonorum nobis auctorem, maximi etiam boni, sapientiae, causam jure merito dicimus. Deum autem Coelum refero, quem omnes unanimâ voce caeterorum bonorum fontem celebrant, numerum autem dedisse et daturum esse affirmamus. Hoc vero agnoscet, quisquis ejus conversiones astrorumque motus, anfractus et mutationes contempletur, et confitebitur omnem sapientiam cum numeris Deum nobis dedisse. Etenim, si numerum ex hominum demamus naturâ, nunquam prudentes (φρόνιμοι) existent. Rationis erunt expertes: στερόμενος δὲ ἀληθοῦς λόγου σοφὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο· ὅτῳ δὲ σοφία μὴ προσείη, πάσης ἀρετῆς τὸ μέγιστον μέρος, οὐκ ἂν ἔτι τελέως ἀγαθὸς γενόμενος εὐδαίμων ποτὲ γένοιτο" (1).

Similiter Deus sapientes suscitat in civitate viros, qui ad meliora quaeque cives convertant. Hoc argumento usum SOCRATEM coram judicibus fingit PLATO. A Deo dicit se philosophari jussum, neque igitur se desiturum esse. Deo enim obsequi malle, quam hominibus. « Reor autem," sic pergit, populum alloquens, « reor, nullum umquam civitati majus contigisse commodum, quam hoc meum ministerium, quod Deo parens exhibeo. Nil enim aliud agens circumeo, quam suadens junioribus, pariter et se-

(1) EPINOMIS. 976. C. — 977. D.

nioribus vestrum, neque divitiarum, neque corporum tantopere curam habere, quantum animi; non enim ex opibus virtutem, verum e virtute opes et alia contingere bona publica privataque. Scitote ergo, ubi me occideritis, non me laesuros vos esse magis, quam vosmet ipsos. Me non laedet MELITUS aut ANYTUS; non enim potest; si quidem nefas est virum meliorem a pejore laedi. Interficiet me forsitan, aut expellet, contumelia afficiet; sed haec ille magna mala putat; ipse ego non puto; verum multo magis, quae ille facit, virum injuste interficere aggrediens. Si enim me occideritis, haud facile alium invenietis, (ridiculum fortasse dictu videatur,) concessum a Deo civitati vestrae, tamquam magno et generoso equo, sed ipsa mole pigriori et calcaribus excitando; qualem me vobis dedisse Deus videtur, qui excitare, suadere, monere totum diem singulos non desisto: *οἷον δή μοι δοκεῖ ὁ θεὸς ἐμὲ τῇ πόλει προστεθεικέναι τοιοῦτόν τινα, ὃς ὑμᾶς ἐγείρων καὶ πείθων καὶ ὀνειδίζων ἕνα ἕκαστον οὐδὲν παύομαι τὴν ἡμέραν ὅλην πανταχοῦ προσκαθίζων* (1).

Videmus igitur praesertim hominum moralem institutionem Dei curae commissam credidisse PLATONEM. Nec mirum. Cum ministris divinis mandaret hominum corpora fingere Deus, ut narrat PLATO in *Timaeo*, decrevit fore, ut animans nasceretur, quod esset *ζῶον τὸ θεοσεβέστατον*. Hanc igitur praeclaram indolem non sine Deo servari existimabat PLATO; Deos omni ope inniti, ut omnes homines *καλοὶ κἀγαθοί* existerent; pulcri, veri, boni

---

(1) APOLOG. 30. A. — 31 A.

evadant participes, ipsis fiant similes. Huc etiam conducunt poenae a Diis impositae, quas medicaminis instar esse cognovimus in superioribus. Hinc explicanda est egregia illa PLATONIS sententia, animos, priusquam corpore gravati in terras delabantur, in coelis vitam agere optimam, Pulcri, Veri, Boni spectaculo fruentes. Hanc Deorum curam de morali hominum praestantia praedicat etiam animorum in varia subinde corpora, in varias vitas migratio, qua a malis, e corpore adhaerentibus, puros eos fieri aliquando censuit Philosophus (1).

Hac igitur sapientis, justi, boni Dei cura fretum audire videmur SOCRATEM, cum a PLATONE inducitur causam suam in judicio agens. Cum jam capitis se damnatum iri intellexerit, mortem se non timere tranquilla mente profitetur. Verum et vos," sic Judices alloquitur, "vos etiam bonae spei de morte esse oportet, et hoc unum verum ducere, viro probo nec vivo nec mortuo mali quid accidere, nec ejus res a Diis negligi. Neque enim mea fata nunc casu sic accidunt, sed in promtu est, jam melius mihi esse mori et liberari a laboribus: 'Αλλὰ καὶ ὑμᾶς χρὴ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, εὐέλπιδας εἶναι πρὸς τὸν θάνατον, καὶ ἕν τι τοῦτο διανοεῖσθαι ἀληθὲς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν, οὔτε ζῶντι, οὔτε τελευτήσαντι, οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα· οὐδὲ τὰ ἐμὰ νῦν ἀπὸ αὐτομάτου γέγονεν, ἀλλά μοι δῆλόν ἐστι τοῦτο, ὅτι ἤδη τεθνάναι καὶ ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βέλτιον ἦν μοι" (2).

(1) Cf. etiam EPINOM. 988. A.
(2) APOL. 41. C. D.

At vero si Deus bonus bonorum tantum auctor est, unde igitur mali repetenda est origo? Hoc quaesiverunt, quotquot de Deo egerint philosophi. Neque PLATONIS etiam desunt de hac re sententiae. Has igitur jam explicare nostrum est. Breves tamen esse conabimur.

Deus ipse Bonus ita constituit Mundum, ut optimo motu cieretur, aptissimo ordine contineretur, verbo, ut quantum posset, aeterno perfecti mundi exemplari similis esset. A Deo itaque bona omnia habet. Cum vero e materia rerum Universum esset componendum, necessitatis effecit vis, ut corporeae naturae ipsi adhaereret infirmitas, malorum fons uberrimus.

Hoc in *Timaeo* exposuit PLATO; in *Politico*, poëtice quamvis, perspicue tamen confirmavit. Mundum ita regere Deus ibi dicitur, ut ordine pulcherrimo omnia cohaereant. Simul tamen ac Deus a regimine recedit, gubernationis divinae oblivio animum capit. Exsurgit prioris deformitatis, qua premebatur aliquando materia, recordatio; nec mundi animus corpus ad illam proclive rationis vi detinere valet, ne in motum inconditum ruat, et prisca existat rerum confusio. Horum enim omnium malorum corporea natura (*τὸ σωματοειδὲς*) causa est Mundo; cui adhaeret innata priscae deformitatis labes; nam materia ordine prorsus carebat, antequam *εἰς τὸν νῦν κόσμον* conformabatur. *Παρὰ μὲν γὰρ τοῦ συνθέντος πάντα τὰ καλὰ κέκτηται· παρὰ δὲ τῆς ἔμπροσθεν ἕξεως, ὅσα χαλεπὰ καὶ ἄδικα ἐν οὐρανῷ γίγνεται, ταῦτα ἐξ ἐκείνης αὐτός τε ἔχει καὶ τοῖς ζῴοις*

ἐναπεργάζεται (1). Materiae adeo vires, *μονωθεῖσαι φρονήσεως, τὸ τυχὸν ἄτακτον ἑκάστοτε ἐξεργάζονται* (2), turbarum omniumque malorum causae sunt, nisi mens, quae regit necessitatem, ei ratione persuadet, omnia ad optimum finem ducere (3). Hinc in *Convivio* AGATHO amori necessitatem opponit, et huic omnia illa mala tribuit, quae a poëtis Diis accidisse memorantur (4).

Nec minus hominibus malorum fons est et origo corporis natura; cupiditates illae, quae e materiae accessione animo exoriuntur, maximae sunt peccandi illecebrae; sensus, quorum in corpore est initium, a vero abducunt. Arcta illa necessitudo, qua animus mortali, debili, mutabili parti connexus est, efficit, ut variis obsessus malis, quemadmodum GLAUCUS ille marinus algis et conchyliis ubique tegitur, ipse se tandem lateat. Sensus enim affectusque tales, quales corpus gignit, hominem superare debere censet PLATO. « Cum corpore," inquit, « inclusi sunt animi, necesse est, primum omnibus unus fiat pro naturâ nostrâ sensûs e vehementi vi externâ; dein vero nos afficiat amor e voluptate et dolore mixtus; denique metus et ira, quaeque haec sequuntur, contrariave sunt: *Πρῶτον μὲν αἴσθησιν μίαν ἀναγκαῖον εἴη μίαν πᾶσιν ἐκ βιαίων παθημάτων ξύμφυτον γίγνεσθαι· δεύτερον δὲ ἡδονῇ καὶ λύπῃ μεμιγμένον ἔρωτα. πρὸς δε τούτοις φόβον καὶ θυμὸν, ὅσα τε ἑπόμενα αὐτοῖς, καὶ ὁπόσα, ἐναντίως πέφυκε διεστηκότα.* Quae qui vicerit, juste vivet;

(1) POLITIC. 273. B.
(2) TIM. 46. E.
(3) Ibid. 48. E.
(4) CONV. 195. C.

qui vero ab iis superatus fuerit, injuste. Hic ubi in aliis aliisque deinceps vitis peccare non desierit, a mutationibus laboribusque non prius liberabitur, quam individuae, ejusdem semper animi partis secutus circuitum, affectuum illorum tumultuantem rationisque expertem turbam, postea e corporis elementis obortam, ratione superaverit et ad priorem reverterit atque optimam conditionem; πρὶν τῇ ταὐτοῦ καὶ ὁμοίου περιόδῳ τῇ ἐν αὑτῷ ξυνεπισπώμενος τὸν πολὺν ὄχλον καὶ ὕστερον προσφύντα ἐκ πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ ἀέρος καὶ γῆς, θορυβώδη καὶ ἄλογον ὄντα, λόγῳ κρατήσας εἰς τὸ τῆς πρώτης καὶ ἀρίστης ἀφίκοιτο εἶδος ἕξεως (1).

Ne tamen quis putet, hanc PLATONIS sententiam revera eo ducere, ut Deo, rerum omnium opifici, humanae infelicitatis tribuatur causa. Corpus dedit animis summus Genitor, quod ad mala invitaret quasi imprudentemque deduceret, animum a rerum divinarum contemplatione abstraheret et in terrâ defigeret (1); attamen animo simul rationem dedit corporis dominam, quae a labe corporeâ, studiisque inhonestis liberaret animum, Veri, Pulcri, Boni aleret Ideis, et ad Deos semper eveheret. — Virtutem absque certamine non cogitasse videtur PLATO (2). A cupiditatibus, caeterisque corpori inhaerentibus peccandi illecebris, prorsus abstrahere animum, grave est, nec minimo voluptatis gaudio hominem privat (3). Attamen ea est Rationis humanae, se-

(1) TIM. 42. A. — D.
(1) PHAEDO. 83. A.
(3) LEG. X. 906. A.
(4) GORG. 505. B.

eundem PLATONEM, vis ac potestas, ut vere excitans amorem, ab his omnibus animum abducere possit, eum uni justitiae illum adhaerere faciat, ab injustitiâ quam maxime eum reddat alienum. Hanc autem injustitiam summum esse malum censet PLATO (1). Quare ipse boni malique sibi auctor existit homo. Bonum semper vult, sed prae ignorantiâ boni specie se decipi patitur, et malum sectatur (2). Quid? quod ipsi Dii Daemonesque in virtutis certamine auxilium nobis praebent, quo facilior huic sit victoria. En egregia PLATONIS verba, quae hoc docent, et caeteris, quae exposuimus lucem affundunt. "Cum inter nos convenerit," inquit, "multorum bonorum, multorum vero etiam malorum, et horum quidem pluriorum, plenum esse mundum, perpetuum hinc existit inter illa certamen, in quo prudenti cautione opus est. Nobis autem belli socii sunt Dii simul et Daemones; ideo eorum sumus possessio. Sed perdunt nos injustitia et insolens intemperantia, salutem afferunt justitia et temperantia cum prudentiâ, quae in divinis animis insunt: ἐπειδὴ γὰρ συγκεχωρήκαμεν ἡμῖν αὐτοῖς εἶναι μὲν τὸν οὐρανὸν πολλῶν μεστὸν ἀγαθῶν, εἶναι δὲ καὶ τῶν ἐναντίων, πλειόνων δὲ τῶν μή, μάχη δή, φαμέν, ἀθάνατός ἐστιν ἡ τοιαύτη καὶ φυλακῆς θαυμαστῆς δεομένη, ξύμμαχοι δὲ ἡμῖν θεοί τε ἅμα καὶ δαίμονες, ἡμεῖς δ' αὖ κτήματα θεῶν καὶ δαιμόνων· φθείρει δὲ ἡμᾶς ἀδικία καὶ ὕβρις μετὰ ἀφροσύνης, σώζει δὲ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη μετὰ φρονήσεως, ἐν ταῖς τῶν θεῶν ἐμψύχοις οἰκοῦσαι δυνάμεσι (3)."

(1) REP. IX. 588. GORGIAS 477. Ct

(2) GORG. 467. seqq.

(3) LEG. X. 906. A.

Adeo autem Deum ab omni culpâ mali removere studuit PLATO, ut finxerit, summum omnium auctorem animis rerum naturam fatique exposuisse leges, antequam corporibus inditi in terras dimitterentur, *ἵνα τῆς ἔπειτα εἴη κακίας ἑκάστων ἀναίτιος*. Legum autem illarum una est de pravâ corporis indole, ejusque vi in animum; alia animi in corpus imperium et varias hominum sortes exponit (1).

Homo igitur ipse sibi malorum *αἴτιος* a PLATONE habetur. Multa tamen pati homines censet, quae perperam mala vocant. Sic in *Apologia* SOCRATES docet, injustum civium odium malum sibi non videri, licet vulgo acerbum malum censeatur. Idem de morte in *Phaedone* declarat. In *Gorgia* ostendit, ob peccatum puniri malum non esse, poenam effugere malum; cui sententiae vehementer se POLUS opponit; PLATO autem poenas luere ideo bonum dicit, quia eo demum injustitiae labe purus existit et ad meliora convertitur animus (2). Alium errorem in *Legibus* notat Philosophus. Homines scilicet non attendere, Dei curam Universi spectare salutem, cujus ipsi partes sunt: quo fieri, ut ad se tantum respiciant, nec reputent, quod sibi malum videatur, ad Universi saepe conducere salutem, cui omnes partes agendo patiendoque multa inservire debent (3). Saepius praeterea monet, ne corpori tantum tribuamus, ut malum dicamus voluptatis defectum, qui animo prosit.

At vero caveas, ne rigidis Stoicorum placitis PLA-

(1) TIM. 41. D. seqq.

(2) GORG. 473. B. seqq.

(3) LEG. X. 903. B. C. D.

TONIS compares doctrinam; ne corporis mala, morbos, dolores eum adeo nihil duxisse putes, ut mala illa non diceret. Novimus Philosophum corpori dare vim magnam in animum. Ordinem atque decoram corporis honestatem pulcra, bonaque censebat; quare juvenes ubivis hortatur, ut animi temperantiâ corporis sanitati consulant, et ludis exercitiisque gymnasticis corporis vires augeant, atque aptam formam quaerant (1). Sed tantopere corpore ipsi videbatur major meliorque animus, ut hujus tantum virtutibus summum Bonum, hujus vitiis summum Malum contineri censeret, quocum corporis bonum malumque ne comparari quidem posse putabat. Caeterum animum bonum ad bonum corpus multum conducere arbitrabatur (2).

Deus igitur nullius mali auctor habebatur PLATONI, sed corporis natura animique injustitia culpam ferre ipsi videbantur (3).

Ex antecedentibus autem facile omnes jam colligent, eam esse, quam Diis tribuit PLATO, providentiae et curae divinae rationem, ut minime ipsius hominis tollat liberam mentis vim, aut voluntatem. Ipse suae salutis, et miseriae auctor est, quia ipsi optio quasi virtutis vel vitii datur. Deus corpus homini dedit, quod eum ad terram, terraeque mala traheret; animum vero, qui ad Deos illum eveheret, et Veri redderet, Pulcri, Bonique participem; quin

(1) REP. III. 403. seqq.

(2) CHARMID. 156. E. seqq.

(3) Datâ operâ de hac quaestione egit MAXIMUS TYRIUS in Dissert. XIII seu ultima, ubi multa e PLATONE desumta videntur. Quaedam habent PLUT. de An. procr. 7. AUGUST. Civ. Dei VIII. 13.

imo virtuti facilem parare studet victoriam, « Ἐμηχανήσατο," inquit HOSPES ATHENIENSIS, « ὁ βασιλεὺς ποῦ κείμενον ἕκαστον τῶν μερῶν, νικῶσαν ἀρετήν, ἡττωμένην δὲ κακίαν ἐν τῷ παντὶ παρέχοι μάλιστ' ἂν καὶ ῥᾷστα καὶ ἄριστα· μεμηχάνηται δὴ πρὸς πᾶν τοῦτο τὸ ποῖόν τι γιγνόμενον ἀεὶ, ποίαν ἕδραν δεῖ μεταλαμβάνον οἰκίζεσθαι καὶ τίνας ποτὲ τόπους· τῆς δὲ γενέσεως τοῦ ποίου τινὸς ἀφῆκε ταῖς βουλήσεσιν ἑκάστων ἡμῶν τὰς αἰτίας· ὅπῃ γὰρ ἂν ἐπιθυμῇ καὶ ὁποῖός τις ὢν τὴν ψυχήν, ταύτῃ σχεδὸν ἑκάστοτε καὶ τοιοῦτος γίγνεται ἅπας ἡμῶν ὡς τὸ πολύ. Excogitavit Deus, quemnam locum Universi partes occupantes singulae, virtuti victoriam, vitio cladem maxime, facillime, optime pararent. Mente itaque agitavit, quale quid ratione Universi fieri deberet, qualemque sedem et quosnam locos sortiri. Nostrum autem cuique reliquit, ut voluntas uniuscujusque decerneret, qualis fieret. Qualis enim animi est indoles, talis quisque fit, et ubicunque esse cupit, ibi habitandi locum nanciscitur (1)."

Deus igitur, e sententiâ PLATONIS, opportunitatem bonorum praebet; hominibus committit, ut ratione, quam dedit, usi, opportunitate illâ fruantur.

Egregie hanc sententiam illustravit PLATO pulcherrimâ illâ traditione de priscarum Athenarum, Diis imperantibus, statu felicissimo, quam a CRITIA referri audimus. « Dii enim," sic narrat CRITIAS, « juris sorte, quod cuique gratum erat, sortiti, homines, suam possessionem, suos alumnos, tamquam greges aluerunt; non tamen ita, ut corpora corporum vi cogerent, veluti pastores jumenta plagis

---

(1) LEG. X. 904. B. C.

agentes, sed ex eâ parte, qua maxime docile humanum est animans, quasi e puppi gubernaculo, sic persuasione animum dirigentes ad suam sententiam, totum gubernarunt mortale genus: δίκης δὴ κλήροις τὸ φίλον λαγχάνοντες κατῴκιζον τὰς χώρας, καὶ κατοικίσαντες, οἷον νομῆς ποίμνια, κτήματα καὶ θρέμματα ἑαυτῶν ἡμᾶς ἔτρεφον, πλὴν οὐ σώμασι σώματα βιαζόμενοι, καθάπερ ποιμένες κτήνη πληγῇ νέμοντες, ἀλλ' ᾗ μάλιστα εὔστροφον ζῷον, ἐκ πρύμνης ἀπευθύνοντες, οἷον οἴακι πειθοῖ ψυχῆς ἐφαπτόμενοι κατὰ τὴν αὐτῶν διάνοιαν, οὕτως ἄγοντες τὸ θνητὸν πᾶν ἐκυβέρνων (1)." Minime itaque Dii aut mero suo arbitrio utebantur, sed persuasionem, quae Rationis est, adhibentes, ea hominum in animis virtutem et per hanc vitae felicitatem curabant.

Ut in hac, sic in omnibus aureae aetatis descriptionibus, quas exhibet PLATO, meritis illa libertas simul cum imperio Deorum celebratur. Novimus animos aliquando apud Deos (quae vera est PLATONIS aurea aetas) ipsum Verum, Pulcrum, Bonum contemplatos esse, perhibere Philosophum: et libera sane mens fuit, quae tali spectaculo interfuit, libereque omnes vires suas intendit. Quid? quod hoc indicat quoque, sed suo more OVIDIUS (2):

Aurea prima sata est aetas, quae, vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant.

Eadem libertas animis jam tum a PLATONE conceditur, cum in eo sunt, ut a Parcis novam vitam sortiantur. Plurimis rem exponit in decimo de *Republica* libro, cum EREM Armenium inducit

---

(1) CRITIAS 109. B. C.

(2) OVID. Metaph. I. 89. seqq.

enarrantem quaecunque apud inferos viderit. Age miram viri narrationem audiamus. « Cum animi in locum venere, ubi Parcarum sedes sunt, statim ad Lachesin, praeterita quae judicat, accedere illos oportet. Propheta aliquis continuo eos in ordinem disponit: dein e Lacheseos genibus vitae sortes et exemplaria cum ceperit, in altum quoddam Tribunal ascendit et sic fatur: « Necessitatis filiae, virginis Lacheseos verba sunt! Animi diurni! Jam novus mortali generi saeclorum nascitur ordo. Non vos Daemon sortietur, sed ipsi Daemonem eligetis. Qui vero prior sortem ceperit, prior vitam eligat, cui adhaereat necessario. Virtus autem dominum nullum habet; non est possessio unius cujusdam. Prout illam honorabit quis vel negliget, magis aut minus eam habebit. Eligentis quidem culpa est; Deus extra omnem culpam." Haec fatus sortes super omnes effundit; cadentem in se quisque capit, et, susceptâ sorte, intelligit, quotus sit sortitus. Post haec vitarum exemplaria coram ipsis in solo disponit. Sunt ea varii generis pretiique, et plura quam in mundo reperiuntur. — Tunc profecto in summo versatur homo discrimine. Quamobrem omni studio operam navare debemus, ut quisque, spretis aliis disciplinis, hanc disciplinam inquirendo consequatur, qua discat et inveniat, quaenam scientia ipsi det malam a bonâ discernere vitam, melioremque eligere; deteriorem vocans, quae injustiorem animum reddat, potiorem, quae ad justitiam magis animum ducat (1)."

(1) Rep. X. 617. D. — 619. A.

Egregie igitur humanam libertatem tuitus est PLATO, secundum quem animi, priusquam in terras venirent, sortem suam potuere eligere vitaeque genus; in ipsâ autem vitâ sapientiae studio vel neglectu, virtutis amore vel odio, felicem vel tristissimam sibi parare conditionem possunt. Deo autem tribuit bonorum et malorum dare opportunitatem et certos constituere humanae electionis effectus, ita ut virtutem beata vitâ, vitium miserrima sors sequatur.

Liber igitur secundum PLATONEM homo est, cujus curam Dii gerunt. Quid vero? Num ipse Deus liber est e Philosophi sententia? Incidi in quaestionem, quia in mentem venit, quod apud HERODOTUM Pythia dicit « Τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ (1) Fato saepius a poëtis et philosophis ea est data vis, qua Deo sit superior, ita ut, quidquid in rerum gubernatione fiat, ejus fiat decretis, in nostrâ potestate nihil sit. Sic cum Pythiae verbis conspirant illa HESIODI de Crono (2):

Πεύθετο γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀστέροεντος
Οὕνεκα οἱ πέπρωτο ἑῷ ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι.

Hoc HOMERO quoque objicit CICERO (3), qui: « Si nil, inquit, fit extra fatum, nihil levari re divina potest. Hoc sentit ipse HOMERUS, cum querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. Hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam versus:

---

(1) HEROD. Hist. I. 91.
(2) HESIOD. Theog. 463 seqq.
(3) De Divin. II. 10.

« Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem."

Neque aliter PHILEMON (1).

Δοῦλοι βασιλέων ἐσμὲν, οἱ βασιλεῖς θεῶν,
ὁ θεὸς ἀνάγκης·

Ab his tamen dissentiunt alii, philosophi praesertim. EPICURUS a Fato quam maxime erat alienus; nec mirum, cum ipsam Dei providentiam rejiciat: attamen, inquit, κρεῖττον ἦν τῷ περὶ θεῶν μύθῳ κατακολουθεῖν, ἢ τῇ τῶν Φυσικῶν εἱμαρμένῃ δουλεύειν (2). — Optime LACTANTIUS obviam it pravis de Fato sententiis dicens: « Si Parcarum tanta vis est, ut plus possint, quam Coelestes universi, quamque ipse Rector ac dominus, cur non illae potius regnare dicantur, quarum legibus ac statutis parere omnes Deos necessitas cogit? Nunc cui dubium est, quin is, qui alicui rei obsequitur, maximus non sit? Nam si sit, non accipiat fata, sed faciat" (3). Quanto melius igitur BALBUS Stoicus apud CICERONEM: « Consilio Deorum administratur (Mundus). Quod si aliter est, aliquid profecto sit necesse est melius, et majore vi praeditum quam Deus, quale id cunque est, sive inanima natura, sive necessitas vi magnâ incitata haec pulcherrima opera efficiens, quae videmus. Non est igitur natura Deorum praepotens, neque excellens, si quidem ea subjecta est ei vel necessitati, vel naturae, quâ coelum, maria, terraeque reguntur. Nihil autem est praestantius Deo; ab eo igitur necesse est mundum regi. Nulli igitur est naturae obediens,

(1) Ap. CLERICUM in MENANDRI et PHILEMONIS Reliq. p. 307.
(2) DIOG. X. 134.
(3) LACT. div. Inst. I. 11.

aut subjectus Deus" (1). Rem egregie paucis his verbis exponit SENECA: (2) « Ille ipse omnium Conditor ac Rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel jussit."

ANTE PLATONEM solebat fere distingui fatum a Providentia, et ab hac diversum dici. Plerumque etiam Deos fato subjiciebant. Videre ergo operae pretium erit, quid PLATO Fatum esse censuerit; utrum hic quoque rerum curam, mundi administrationem divinam a Fati decretis pendere, nec prorsus libero Dei consilio omnia regi putaverit. Quod enim in nostrâ potestate multa esse voluit, suprà jam vidimus; hanc igitur funestam in hominum actiones vim Fato certe non dedit.

In *Timaeo* recensentur νόμοι οἱ εἱμαρμένοι, Fati leges, quas Deus animis tradere dicitur, quos e mundi animi reliquiis composuerat, corporibusque humanis a Diis minoribus includi volebat. Sunt illae: ὅτι γένεσις πρώτη μὲν ἔσοιτο τεταγμένη μία πᾶσι, ne alter altero minus ab ipso sortiretur: ὅτι δέοι φῦναι ζώων τὸ θεοσεβέστατον humanum genus, cujus melior pars viros contineret: quod corporibus inditis animis varii sensus contingerent: quod, hos qui vicissent, juste, caeteri injuste viverent: quod illi port mortem beatam vitam degerent, hi varias deinceps vitas sortirentur; nec laboribus liberarentur, priusquam ad pristinum purum, justum rediissent habitum. Haec omnia autem animis tunc indi-

---

(1) CIC. Nat. II. 30.

(2) SENECA de provid. 5. — Caeterum, qui plurium philosophorum de fato sententias audire cupit, adeat GROTIUM Op. Theol. III. 579. seqq.

casse Deum PLATO ait, « ἵνα τῆς ἔπειτα εἴη κακίας ἑκάστων ἀναίτιος" (1).

Patet itaque, nisi egregie fallor, νόμους τοὺς εἱμαρμένους a PLATONE dici leges, quas ipse Deus sanciverat, quasque ipse certas immutabilesque esse voluit; νόμους τοὺς εἱμαρμένους ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Nil enim nisi ipsum Dei consilium, ipsa Dei voluntas vitae futurae sortes definit, secundum PLATONEM; nil nisi Dei amor boni causa est, cur Deorum cultui adeo deditus sit homo, cur tantumdem bonorum omnes sortiti sint. Nec aliud quid suadet consilii mentio, quare omnia illa edocuerit animos Deus. Noluit sibi malorum culpam esse; exposuit itaque, antequam vitae munus nanciscuntur animi, vitae rationem variasque sortes.

Sed aliis quoque in locis de fato disserentes audiamus, quos inducit PLATO, amicos. In *Legum* libro decimo, ἡ τῆς εἱμαρμένης τάξις καὶ νόμος dicuntur ordinis in universâ naturâ leges, quales excogitavit Deus. Scilicet excogitasse narratur, quales locos occupare, qualem naturam ferre singula deberent, ut Universi salus maxime stabiliretur; omnia igitur illo ordine μεταβάλλοντα φέρεται κατὰ τὴν τῆς εἱμαρμένης τάξιν καὶ νόμον (2). In *Phaedro* Adrasteae lex est: quicunque animus, Deum comes secutus, veri quid intuitus est, usque ad alterum Deorum circuitum salvus sit; et, si semper hoc facere possit, semper sit incolumis; sin autem verum assequendo impar, illud non viderit, et casu quodam oblivionis atque pravitatis plenus gravatusque, alas amiserit et in terram deciderit, lex est, ut ille primâ generatione non in ferae cujusdam naturam

(1) TIM. 41. E. — 42. D.
(2) LEG. X. 904. B. — D.

ingrediatur, sed qui plurimum veri spectaculo fruitus sit, suscipiat naturam philosophi; secundus Regis sortiatur indolem, vere ἐννόμου, πολεμικοῦ καὶ ἀρχικοῦ; tertius Gubernator fiat civitatis, domûs, aut rei familiaris, caet. — In eundem statum, in quo primo fuerunt, non redeunt ante expletum decem mille annorum tempus; nam hoc intervallo redeunt iis alae. Ii soli, qui vere philosophati fuerint, tribus deinceps generationibus ter mille annorum spatio alas recuperant, et in primum statum abeunt. Reliqui animi, finitâ primâ vitâ, judicantur et partim poenas daturi mittuntur sub terram, partim praemia accepturi evehuntur in coelestem locum. Mille annis exactis utrique redeunt ad electionem secundae vitae, quam sibi quisque libero judicio eligit. (1)

Non est autem quod dubitemus, quin hasce omnes leges, quibus animorum variae sortes definiuntur, ab auctore Deo profectas esse, ejusque mandata continere censuerit PLATO. Pendent enim omnia, quae animis contingunt ab eorum creatione, cujus Deus tantum Auctor dicitur in *Timaeo*. Porro vel minimam suspicionem dissidentis a Deo Fati tollit PLATO, cum, descripto concilio divino Parcarum et matris Necessitatis, προφήτην τινὰ, Lacheseos referentem consilia inducit leges fatales edicentem; ultimo autem loco non Lachesin, sed Deum, miseriae humanae culpâ liberantem, et in ipsos homines injicientem. (2). Quin imo in *Epinomide* Parcae hae, Fati Deae, τρεῖς μοῖραι κατέχουσαι φυλάττουσι τέλεον εἶναι τὸ βελτίστῃ βουλῇ

(1) PHAEDR. 248 C. — 249 B. WYTTENB. de immort. anim. Op II. 595 Seq.

(2) REPUBL. X. 617 E.

βεβουλευμένον ἑκάστοις θεῶν, perfici curant, quidquid optimo singulorum Deorum consilio decretum sit. (1)

Est igitur secundum PLATONEM Fatum decretum Deorum; quoniam autem Dii nil per se, sed omnia per Deum efficiant, Deusque simul cum creatione leges gubernationis sanciverit, decretum Dei; quod immutabile, aeternum est; quo universae naturae sors certo constituta est, semelque in sempiternum definita maneat; quo rerum omnium effectus, horumque series decreta est. — Neque obstat, quod in narratione illâ, qua Mundi, Deo ab imperio remoto, tristissima panditur sors, rerum universum, simulac Deus a gubernatione recesserit, a Fato et innata cupiditate contrario motu revolvi dicatur: *τότε δὴ τοῦ παντὸς ὁ μὲν Κυβερνήτης οἷον πηδαλίων οἴακος ἀφέμενος* (tamquam misso gubernaculi clavo) *εἰς τὴν αὑτοῦ περιωπὴν ἀπέστη, τὸν δὲ δὴ κόσμον πάλιν ἀνέστρεφεν εἱμαρμένη τε καὶ ξύμφυτος ἐπιθυμία*." (2) Nam *εἱμαρμένη* illa etiam hic est, Dei placitum, Dei consilium, quo decreverat fore, ut omnia inverso ordine et motu jam agerentur.

Poëtarum igitur more, quamvis ab eorum sententiâ alienus, Fati Deas memoravit PLATO; revera tamen iis Dei summi voluntatem certam, mutari nesciam, significare voluit. Si rem acute definire volumus, et indicare, quomodo a Providentia divina Fatum distinxerit (si tamen distinxit) PLATO; dicendum videtur, *πρόνοιαν* magis complecti mentis divinae virtutem, qua consilia aeterna optima capit, *εἱμαρμένην* magis spectare ad curam, quâ sine ullâ mutatione ea perfici

(1) EPINOM. 982 C.
(2) POLITIC. 272 E.

curat. Quare PLATONIS mentem rectissime cepisse videtur APULEJUS, qui de PLATONE: « Ita enim definit: providentiam divinam esse sententiam, conservatricem prosperitatis, cujus causâ tale suscepit officium; divinam legem esse Fatum, per quod inevitabiles cogitationes Dei atque incepta complentur. Unde, si quid Providentiâ geritur, id agitur etiam Fato, et quod Fato terminatur, Providentiâ debet susceptum videri." (1)

Nec magis igitur hoc PLATONIS Fatum humanam tollit libertatem, quam Providentia divina; constituit tantum fore, ut, si hoc vel illud fecerit homo, hoc vel illud certe sit secuturum. Quod inter alios recte cepisse et exposuisse videtur ALCINOUS (2).

Neque Deo aliquid demit PLATO, cum Fortunae Casuique quid tribuit. Ubi enim accurate ipsum sensum scrutemur verborum PLATONIS, videbimus eatenus tantum fortuitam quandam rerum causam a causa divina distingui, quatenus hominibus diversae videri solent utraeque.

Huc facit memorabilis ille locus, ubi legum omnium fons et origo indicatur: scilicet non humanum ingenium, sed varios casus et calamitates leges ferre. Sic belli vis rempublicam legesque pervertit; summa etiam penuria, morbi et multorum annorum importuna tempestas novas ferre leges suadent. « Haec si quis viderit," sic pergit HOSPES ATHENIENSIS, « mecum pronuntiabit mortalium neminem leges ferre,

---

(1) APUL. Hab. doctr. I. 8.

(2) ALCINOUS Introd. C. 26. Vide ejus verba, et aliorum interpretum sententias in OBSERV. *Nota* K.

sed humana omnia fortuna duci. Verum in his illud etiam dicendum est, Deum quidem omnia, et una cum Deo fortunam atque casum humana cuncta gubernare. "Ἔμελλον λέγειν, ὡς οὐδείς ποτε ἀνθρώπων οὐδὲν νομοθετεῖ, τύχαι δὲ καὶ ξυμφοραὶ παντοῖαι πίπτουσαι παντοίως νομοθετοῦσι τὰ πάντα ἡμῖν. ἢ γὰρ πόλεμός τις βιασάμενος ἀνέτρεψε πολιτείας καὶ μετέβαλε νόμους κ. τ. λ. — ταῦτα δὴ πάντα προϊδών τις ἀΐξειεν ἂν εἰπεῖν ὅπερ ἐγὼ νῦν δή, τὸ θνητὸν μὲν μηδένα νομοθετεῖν μηδὲν, τύχας δ' εἶναι σχεδὸν ἅπαντα τὰ ἀνθρώπινα πράγματα — ἀλλὰ γὰρ ὁμοίως αὖ καὶ τόδε ἔστι λέγοντα εὖ λέγειν ἐν τοῖς αὐτοῖς τούτοις — ὡς θεὸς μὲν πάντα καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς τἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα." (1)

His autem, ni egregie fallor, hoc tantum significavit PLATO, Deum omnes illos immittere casus et calamitates; multum valere illas ad homines edocendos; adeoque non humanum ingenium, sed casus illos et eventus varios, Deumque, qui eorum auctor est, regere res hominum.

Quod autem revera fortunae nil tribuit PLATO, sed omnia Dei fieri consilio arbitratus est, alibi satis declarat. Sic in eodem *Legum* libro, paucis tantum intermissis, felicissimam civitatis esse conditionem contendit HOSPES, εἰ τύραννος γένοιτο νέος, σώφρων, εὐμαθής, μνήμων, ἀνδρεῖος, μεγαλοπρεπής, εὐτυχής, γένοιτο τε ἐπ' αὐτοῦ νομοθετὴς ἄξιος ἐπαίνου, καὶ τύχη τις εἰς ταὐτὸν ἄγοι αὐτώ· γενομένου γὰρ τούτου πάντα σχεδὸν ἀπείργασται τῷ θεῷ, ἅπερ ὅταν βουληθῇ διαφερόντως εὖ πρᾶξαί τινα πόλιν: si summus imperans juvenis sit, temperans, docili ingenio, tenaci memoria pollens,

(1) LEG. IV. 709. A. B.

fortis, magnanimus, felix, atque ei accedat legislator laude dignus, et fortuna quaedam eos ad idem ducat. Hoc enim si contigerit, omnia ferme a Deo data sunt, quae concedere solet, ubi eximie civitatis saluti consulit." (1) — Deus itaque dat τύραννον illum, νομοθέτην et τύχην. — Similiter Deum bonamque fortunam alio loco invocare jubet, ut sortem ad id, quod justum est, ducant; sed paulo post Deum ita dirigere bonam fortunam pronuntiat, ut sortem ferat, quo Deo placet. (2)

Hoc itaque sensu τύχη et καίρος accipienda videntur apud PLATONEM, ut magis ad eventus quam eventuum auctores pertineant; ut notent omnia, quae ita accidunt, ut hominibus eorum causa et origo non pateat; quae tamen revera Deo auctore fiunt. Quare minus ipsam vocum apud PLATONEM notionem cepisse putem auctorem Definitionum, quae Platonis nomine feruntur. Ab hoc enim τύχη definitur: « φορὰ ἐξ ἀδήλου εἰς ἄδηλον, καὶ ἐκ τοῦ αὐτομάτου αἰτία δαιμονίας πράξεως· (3) et καίρος, χρόνου ἀκμὴ πρὸς τὸ συμφέρον· χρόνος ἀγαθοῦ τινὸς συνεργός (4)." Hae certe significationes vocibus non tribuuntur a PLATONE, ubi de fortuna et casu in rerum gubernatione ei est sermo. Nil ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου fieri indicat in *Apologia* SOCRATES (5).

CICERO, qui fortasse ad priorem e *Legibus* locum respexit, fortunam eodem fere modo Deo subjicit vel eandem ac Deum esse docet; dicit enim: « Deum —

---

(1) LEG. IV. 710 C.
(2) LEG. VI. 757. E. et 759 C.
(3) DEFINIT. 411. B.
(4) Pag. 414. A.
(5) Apolog. 41. D.

quasi prudentiam quandam procurantem coelestia maximè, mentem sapientiamque perfectam appellant; — nonnumquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improvisa nec opinata nobis, propter obscuritatem causarum (1)."

De necessitate, quatenus illi parere debeat Deus secundum PLATONEM, et quatenus mente illam regat, atque persuadendo in suas convertat partes, supra vidimus. Verbo tantum monendum est, proverbium illud: « *ἀνάγκῃ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται*": tam etsi alio saepe sensu usurpatur apud PLATONEM, originem tamen repetere, ut videtur, ex hac doctrinâ, necessitatem Dei vi ac voluntati non cedere, sed dirigi tantum posse persuasione blandâ; vinci vero, planeque everti non posse (2).

Videmur autem jure merito mirari, nullas fere gubernationis partes mundi animo dari a PLATONE. Raro illius meminit auctor, nec fere nisi in *Timaeo*, *Legum* decimo, *Appendice Legum* atque *Politico*. Si autem dictos conferamus dialogos, intelligimus hoc esse mundi animi e sententiâ PLATONIS munus, ut motum semel inditum alat, conservet, imitando Deum. Illius itaque vim sese maxime exserere putavit PLATO in rerum naturam, in corpora, quaecunque mundus complectatur. De horum autem curâ, et conservatione minus datâ operâ dixit PLATO, aliorumque est illa uberius explicare.

---

(1) CIC. Acad. Quaest. I. 7. Caeterum CHALCIDIUS multa habet de Fortunâ et Casu p. 250. seq. sed aliena a PLATONE Cf. MAX. TYR. XIX. 7.

(2) Vide PROTAG. D. LEG. VII. 818. B.

Memoranda tamen videtur nonnullorum sententia, duos a PLATONE commemorari mundi animos, alterum bonum, bonorum causam, malum alterum, malorum auctorem; seu potius materiae rudis indigestaeque animum, qui aeterno motu illam ciivit, antequam Deus corpora ex eâ componeret, malum dici animum; bonum illum, quem mundo, sive rerum creatarum complexui, indidit Deus. Sic jam PLUTARCHO visum est (1), cui fidus adhaeret inter alios clarissimus MEINERSIUS in egregio opere: « *Historia doctrinae de vero Deo* (2)."

Quae autem ad hanc sententiam confirmandam afferuntur, haec sunt: in *Timaeo* commemorantur αἰτίαι ὅσαι μονωθεῖσαι φρονήσεως τὸ τυχὸν ἄτακτον ἑκάστοτε ἐξεργάζονται (3); hae vires eaedem esse videntur, quibus passim agitata fuisse materia dicitur; motus autem causae in animo tantum sunt; est igitur materiae animus prudentiae, mentisque omnis expers; ἄπειρον illud in *Philebo* ejusdem naturae esse videtur; itaque eo, pariter malus animus intelligitur; hujus quoque naturam fert dividua illa substantia, quam mundi animo admiscuit Deus (4). In *Politico*, memoratur τὸ σωματοειδὲς τῆς συγκράσεως αἴτιον, τὸ τῆς πάλαι ποτὲ φύσεως ξύντροφον, et hujus effectus τὸ τῆς παλαιᾶς ἀναρμοστίας πάθος (5). Haec autem omnia animum malum significant; quem in *Legum* libro

---

(1) De An. procr. in Timaeo. 6. 7. 9.

(2) Part. Alt. p. 405. seqq.

(3) pag. 46. E.

(4) TIM. p. 35. A.

(5) POLITIC. p. 273. B. C.

decimo et in *Epinomide* disertis verbis τὴν κακὴν ψυχὴν vocat (1).

Nobis tamen parum haec persuadent. Nusquam PLATO dixit animum fuisse in materiâ motûs illius incompositi auctorem. Silet prorsus de motûs hujus origine. Causae autem illae prudentiâ menteque carentes, quales in *Timaeo* commemorat PLATO, non sunt animi cujusdam vires. Quin imo e disputatione de materia et necessitate, quae deinceps instituitur, dilucide patet, eas esse materiae leges, quae necessitatem constituunt. Infiniti autem illius, quod in *Philebo* celebratur, alia prorsus est ratio, quam animi mali defensores velint. Omne omnino infinitum notat, quod Ideâ infiniti constat, quodque dein ad materiam refertur, e qua mundum composuit rerum Genitor. Dividuam illam naturam, mundi animi partem, materiae naturam ferre in superioribus demonstravimus; animi certe notionem ei subjici a PLATONE, argumentis satis validis probari nequit. Quae in *Politico* affertur turbarum confusionisque universae causa, τὸ σωματοειδές, quomodo animum malum dicant, non percipio. Procul dubio materia intelligitur; quod supra jam ostendimus. Loci in *Legum* libro decimo sensum quoque jam explicuimus alio loco. Unus mundi animus, *bonus* dicitur, νοῦν cum accepit, id est, cum prudenter Deum imitatur; *malus* autem, cum ἀνοίᾳ fit affinis, id est, cum oblivio divinae gubernationis eum capit, ut est in *Politico*. In *Epinomide* autem respicitur ad locum in *Legum* libro; estque igitur

(1) LEG. X. 896. E. EPINOM. 989. E.

eadem hujus ratio. Mihi ideo nullo satis valido argumento confici videtur, PLATONEM malum quemdam somniasse animum, malorum causam; mala, ut ante vidimus, e materiâ, et quatenus homines spectant, ex ipsorum ignorantiâ proficisci arbitratus est (1). Error inde ortus videtur, quod, cum frustra quaererent motûs illius, quo materia fuit agitata, originem et causam, motûsque primi fontem esse in animo saepius a PLATONE dici intelligerent, suspicabantur materiae quoque animum tacite a Philosopho fuisse intellectum. At vero non est prudentis Interpretis, ea, quae desiderantur apud auctorem, e suo ingenio adjicere, etiamsi res, quas adjicere cupit, primo intuitu a mente auctoris haud ita videantur alienae. Nobis itaque potius videtur, statuere, PLATONEM credidisse, ab aeterno una cum materia ejus motum fuisse. Neque enim minus intelligimus, quomodo ab aeterno motus quidam extra Deum affuerit, quam, quomodo materia aeterna existere potuerit.

Quaedam praeterea curae humanarum rerum partes a PLATONE conceduntur Daemonibus (2), naturis illis homines inter Deosque mediis, quarum munus, ut exposuimus in superioribus, interpretum et quasi nuntiorum officiis continetur; humana nempe, preces sacrificiaque ad Deos perferunt; Deorum praecepta et mandata de sacrorum ordine et aliis rebus ad homines ab iis deferuntur (3). Eos hominibus prae-

(1) Mecum facere video virum Clar. TENNEMANN. *System.* III. p. 175. seqq.

(2) LEG. IV. 713. D.

(3) CONVIV. 202. E.

fecisse Deus dicitur hanc ob causam, quod homines suas res sine superbiâ atque injustitiâ curare non valeant: *ὡς ἀνθρωπεία φύσις οὐδεμία ἱκανὴ, τὰ ἀνθρώπινα διοικοῦσα αὐτοκράτωρ πάντα, μὴ οὐχ ὕβρεώς τε καὶ ἀδικίας μεστοῦσθαι.* Daemones autem curant, ut pax sit et pudor, legumque reverentia et copia juris, omnis remota sit seditio beataque fruantur homines conditione: *τὸ γένος τὸ τῶν δαιμόνων — εἰρήνην τε καὶ αἰδῶ καὶ εὐνομίαν καὶ ἀφθονίαν δίκης παρεχόμενον, ἀστασίαστα καὶ εὐδαίμονα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἀπειργάζετο γένη* (1). Cuique homini suum concessisse Daemonem PLATO videtur, quem elegerit animus, cum a Parcis ipsi vitae terrestris optio data (2); a quo rursus e corpore egressus ducitur in locum illum, unde judicatos animos ad inferos deferri oportet (3).

Haec Daemonum igitur cura animum humanum tantum spectat; morum integritatem, pietatem, virtutum amorem, Pulcri, Veri, Boni studium respiciunt. Hinc amor apud PLATONEM magnus dicitur Daemon (4); haec indicat nominis etiam interpretatio, quam exhibet PLATO; sunt enim tamquam *δαήμονες* prudentes, intellectu, mente sagaci praediti (5). Sunt igitur hominum custodes, qui morali eorum institutioni praesunt. Sic SOCRATIS daemonium, vox illa divina, dissuadet quaecunque male consulta peragere vult philosophus. — Propria tamen eorum cura circa res sacras esse videtur; praecipue per illos

---

(1) LEG. IV. 713. C. E. POLITIC. 271. E. LEG. V. 732. C.
(2) POLITIC. Ibid. — REP. X. 617. E.
(3) PHAEDO. 107. E.
(4) CONV. 202. D.
(5) CRATYL. 398. B.

mandata de sacrificiorum ritibus et ordine, vaticiniaque et divinationem a Diis hominibus dari censuisse putem Platonem. Haec enim in definitione illa Daemonis, quam in *Convivio* exhibet DIOTIME, praevalent; quin imo *ὁ μὲν περὶ τὴν τῶν ἱερέων τέχνην τῆς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν σοφὸς, δαιμόνιος ἀνὴρ* ipsi vocatur (1).

Si quid aliud, haec praesertim Daemonum officia, qualia excogitavit PLATO, probant egregias Philosophum fovisse de divinâ curâ sententias. Quid enim philosopho dignius, quam Diis mandare morum humanorum custodiam? Quomodo autem cura illa Daemonum sese exserat, non exposuit. Ita certe, ut ipsi non sentiant homines; suscitandis cogitationibus; moderandis et regundis laetis pariter ac adversis fortunae casibus (2). Sufficit autem nosse, revera tali animorum custodiâ Daemones, Numina hominibus meliora, prudentiora fungi; preces et sacrificia eorum ope ad Deos pervenire, commercium quasi homines inter atque Deos (3) ab ipsis institui.

Caeterum nullus dubito, quin omnia, quae de Divina cura e PLATONE depromsimus, egregie ostenderint, dignam omnino Numine divino ab eo esse celebratam curam; omnem praesertim, quam Diis tribuit hominum curam, quippe quae eo tendit, ut Pulcri, Veri, Boni participes reddantur et felicem aliquando degant in coelis vitam, pium redolere Philosophi animum, mentis integrum sanumque ju-

(1) CONV. 202. E. 203. A. — Cf. LEG. VII. 804. A.
(2) LEG. 732. C.
(3) CONV. 203. A.

dicium, et egregium viri studium, ut philosophia sua virtutum foret fons uberrimus, optimae vitae magistra.

Quin imo hoc pronuntiare licet de omnibus, quae de Deo disputando invenisse PLATONEM ostendimus. Optima etiam hujus rei indicia deprehendet ille, qui datâ operâ, quales fuerint philosophi de cultu Deorum opiniones, inquirat. Nam sublimes ubivis et verissimas hac quoque de re protulit sententias; quas inter unam praestantissimam: Deos non dona aut sacrificia, sed animum sanctum justumque respicere (1). Nostrum autem non videtur de cultu illo hîc agere. Nisi ampla disputatione, bene hoc argumentum exponi nequit. Quominus autem amplam etiamnunc scriptis adjiciamus disputationem, prohibet instituti nostri ratio; quae non adeo requirit, argumentum plene absolvi (non enim aliis, nobis tantum scripsimus); verum magis eo tendit, ut studiorum nostrorum quasi reddamus rationes; et, numquid e Litterarum studio profecerimus, et diligenter satis pro viribus opportunitate discendi simus usi, ostendamus iis, penes quos harum rerum est judicium.

Praestat adeo hic rivos claudere. Ipsi mihi sum conscius, me dedisse, quae potui. An prorsus argumentum vires superaverit, judicare meum non est. Hoc probe scio, multa desiderari; multa accuratius tractari, melius dici ab aliis posse. Verum hoc censeo, utilem mihi me navasse operam hanc conscribentem qualemcunque dissertationem; hoc tes-

(1) ALCIB. II. 249.

tor, dulcissimum semper fuisse otium, quod a studiis vacans Theologicis, his PLATONIS studiis impendi. Nec umquam poenitebit, me non modo ad legenda PLATONIS scripta, sed etiam ad hanc illius Philosophiae partem pertractandam accessisse. « Omnes enim", ut ait CICERO, « ejus partes et omnia membra tum facillime noscuntur, cum totae quaestiones scribendo explicantur. Est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex aliâ nexa, et omnes inter se aptae colligataeque videantur." (1) — Quod si autem mentem Philosophi veram subinde non assecutus videar, reputetur precor, me, qui scribam, esse juvenem; « cum autem multae res in philosophiâ nequaquam satis explicitae sint, tum perdifficilem esse et perobscuram quaestionem de naturâ Deorum." (2) Recordentur omnes ipsius PLATONIS verba: "τὸν μὲν Ποιητὴν καὶ Πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. (3).

(1) Cic. Nat. D. I. 4.
(2) Cic. Nat. D. I. 1.
(3) Tim. p. 28. E.

OBSERVATIONES.

OBSERVATIONES.

A. *Atheniensis qui dicitur Hospes.* pag. 4. — Scholiastes in Leg. I.: *ὁ Ἀθηναῖος οὗτος ξένος πεποίηται ἐνταῦθα εἰς τὴν Κρήτην ἀπιών· ἔστι δὲ Πλάτων, ὡς ἐκ τοῦδε φανερόν· αὐτὸς γὰρ ὁ Ἀθηναῖος ξένος ἐν ταῖς τῶν Νόμων λέγει, ὅτι ἤδη αὐτῷ δύο πολιτεῖαι προηνύσθησαν· ἢ οὖν οὐδ' ἐκεῖναι Πλάτωνος, ἢ, εἰ μὴ τοῦτο, ὁ αὐτὸς ἂν εἴη τῷ Ἀθηναίῳ ξένῳ.* Locus, quem e *Legibus* citat, reperitur in libro V. p. 739. C. E. ubi, « Praestat," inquit Hospes, « optimam et huic secundam, atque tertiam exponere *πολιτείαν*, et cuique harum optionem dare. Nos ita agamus; eligat Clinias. *Πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τέ ἐστι καὶ πολιτεία καὶ νόμοι ἄριστοι, ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα· λέγεται δὲ ὡς ὄντως ἐστὶ κοινὰ τὰ φίλων. κ. τ. λ. — ἣν δὲ νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν, εἴη τε ἂν γενομένη πως ἀθανασίας ἐγγύτατα καὶ ἡ μία δευτέρως· τρίτην δὲ μετὰ ταῦτα, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, διαπερανούμεθα.*

Cuique ex his erit manifestum, perperam quam maxime, ita interpretatum esse Hospitis verba Scholiastem: primam *πολιτείαν* designare, quam prius condiderat Plato, *Rempublicam*. Praeterquam enim

quod non inepte adeo disputantium nomina (hîc SOCRATEM et HOSPITEM) confundere solet PLATO, verborum ipse nexus praecipit, ut πρωτὴν πολιτεἰαν cogitemus illam, quam hic primo loco adumbrat HOSPES, et verba ἣν δὲ νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν secundam illam indicare censeamus, hanc scilicet, cujus leges jam condit, quaeque perfectae illi primae virtute proxime similis sit. — Neque etiam, si quidem nobiscum PLATONI auctori tribuas *Legum* libros, ad *Rempublicam* suam ullomodo hic respicere potuit. Est enim alia prorsus utriusque operis ratio; nec, quam in *Legibus* constituit, civitas, ita illi, quam in *Reipublicae* libris celebrat, comparari potest, ut huic illa virtute secunda dicatur. Scholiastae tamen assentitur, quem citavit ASTIUS V. Cl. in *Platon's Leben und Schriften* p. 389., DE GEER *Diatr. in Pol. Plat.* pc S. 123. in *nota*. Nobis magis favet vir erud. celeb. GROEN VAN PRINSTERER, *Prosopogr.* p. 129. Qui tamen verba illa ἣν νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν minus recte ad antecedentia refert. Caeterum dignus est quem hic addamus notus ille DIOGENIS LAERTII locus III. 52. Πλάτων — περὶ μὲν τῶν αὐτῷ δοκούντων ἀποφαίνεται διὰ τεττάρων προσώπων, Σωκράτους, Τιμαίου, τοῦ Ἀθηναίου ξένου, τοῦ Ἐλεάτου ξένου· εἰσὶ δ' οἱ ξένοι οὐχ ὥς τινες ὑπέλαβον, Πλάτων καὶ Παρμενίδης, ἀλλὰ πλάσματά εἰσιν ἀνώνυμα. Nimia certe quaerunt, et a PLATONIS more aliena Scholiastes et alii, qui in disputatione de Legibus, ut saepe, ita HOSPITEM Atheniensem de se vocasse PLATONEM autumant. Agit PLATONIS partes HOSPES, sed ut actor in scenâ. — Scholiastae errorem haud scio an CICERO quoque erraverit, qui PLATONEM

dicit enim CLINIA et MEGILLO disputare. Leg. I. 5.; licet facile illi adstipuler, qui non urgenda adeo TULLII verba censeat. — ARISTOTELES SOCRATEM HOSPITIS loco memorat Polit. II. 4. 3.

B.) *Animus — qui cum mentem semper divinam acceperit.* pag. 14. — Sic expressimus Graeca: ψυχὴ — νοῦν μὲν προσλαβοῦσα, ἀεὶ θεὸν θεὸς οὖσα, ὀρθὰ καὶ εὐδαίμονα παιδαγωγεῖ πάντα κ. τ. λ. — Ita enim contextum refert BEKKERUS, SERRANUM secutus ac FICINUM, depromtum illum e margine codicis Parisiensis (A apud BEKKERUM) et Vaticani (Ω) atque ex aliis duobus Vaticanis codicibus, qui numero 1029 a BEKKERO notantur. Major codicum numerus favet alii lectioni: ἀεὶ θεὸν ὀρθῶς θεοῖς. Unus porro Venetus membranaceus habet ἀεὶ θεῖον ὀρθῶς θεοῖς. De aetate horum codicum parum constat. Multi certe ita se habent, ut alter ad alterum compositus, aut e communi fonte fluxisse videantur. Non satis adeo valet codicum auctoritas, ut vera quae sit lectio pateat. Si tamen quid video, omnium minime illa BEKKERI commendatur. Neque etiam ferenda est. Quid enim? Ubi hic jam θεὸς vocatur animus, illud sumitur, quod probandum est. Quare a recentiore manu in margine utriusque codicis adscripta verba θεὸς οὖσα videntur, ut iis ipse contextus explicaretur, deinde vero incaute sive errore sive consilio in textum recepta. Itaque potius ejicienda esse si quis firmiore quodam argumento, quam mea est sententia, verosimiliter probare possit, valde me assentientem habebit. Ut ut est, veram lectionem haudquaquam nobis servasse Librariorum curam censeo.

Etenim haud magis illa ὀρθῶς θεοῖς ὀρθὰ Platonicam referunt dictionem. Astius V. Clar. conjecit κατὰ θεὸν ὀρθῶς ἰοῦσα. Sed sensum praebet, ne dicam ineptum, attamen ab hoc loco alienum. Nec ἰοῦσα aut vocem in ουσα desinentem in αὐτογραφῷ affuisse putem ob praecedens προσλαβοῦσα praesertim. Proposuit lectionem in *Annot.* ad hunc l. in edit. *Legum* et *Epinomidis.* p. 486, ubi hanc etiam commemorat scribendi rationem, ἀεὶ, θεῖος οὖσα, ὀρθὰ καὶ κ. τ. λ. Quod tamen minime placet. Stalbaum in *annot. ad l.* θεῖον reponere et ὀρθῶς recipere non dubitare se fatetur; in textu tamen operarum credo vitio, legitur ἀεὶ θεῖν ὀρθῶς, θεὸς οὖσα, ὀρθά. Ego, si quid juveni, virorum doctissimorum minus probanti conjecturas, liceat ipsi conjecturam tentare, putem a Platone scriptum fuisse ἀεὶ θεὸν ὡς θεὸς ὀρθὰ κ. τ. λ.; deinde librarii cujusdam errore haud adeo insueto, haec confundendo mutata esse in ἀεὶ θεὸν ὀρθὰ ὡς θεὸς ὀρθὰ, unde verosimiliter exstiterit lectio ὀρθῶς θεὸς, et immutatione sexcenties obviâ, ὀρθῶς θεοῖς. Librarium vero, qui in margine sui codicis adscripserit ἀεὶ θεὸν θεὸς οὖσα, haec adjecisse censeam, ne verba ὡς θεὸς male acciperentur, nec ipse Deus censeretur Animus. Nec tamen hanc veram esse lectionem defendere velim. Suam cuique relinquo optionem. Ipse fere quid ex his minus rejiciendum sit nescio. — Quid autem? si legamus ἀεὶ θεὸν εἶθ' ὡς θεός? Praestare videtur alteri haec conjectura.

C.) *Epinomis* pag. 21. Interpretes complures hunc dialogum, qui *Legum* est appendix, Platoni auctori abjudicarunt. His prorsus adstipulatur Cl. Astius, qui nullus dubitare videtur, quin ingenii

longe PLATONE vilioris, aetatis recentioris partus sit. Nec mirum; totum praestantissimum *Legum* opus a PLATONE nostro scriptum esse negat; nemo igitur aliud judicium de *Legum* appendice speret. Argumentum, dictio conspirat in utroque amice. Quicunque igitur cum ARISTOTELE, STRABONE, CICERONE, DIOGENE LAERTIO, EUSEBIO aliis, (quos vide apud ASTIUM in editione, *Nota prima*) magis honorifice de *Legibus* sentiat, vel eo fere adducitur, ut eandem dicat de *Epinomide* sententiam, et PLATONI ambo reddat. Ante omnia vero, quod ad *Epinomida* attinet, eo adducimur, argumentorum, quibus utitur ASTIUS, levitate, ne dicam, speciosâ vanitate. Age; deinceps haec referamus, et, si fieri possit, refellamus. De dictione, nam ab hac incipit, ita pronuntiat auctor: « *der Vortrag ist noch schwerfälliger* « *und dunkler* (quam in *Legum* opere), *so dass der* « *Verfasser, diese Dunkelheit nur affectirt zu haben* « *scheint, um seinem gehaltlosen Vortrage den An-* « *strich von philosophischer Tiefe zu geben.*" — In hac reprehensione multum veri, me judice, inest. Me quoque semper offendit ingrata quaedam in dictione obscuritas, qualis in multis locis lectorem retinet. Nec, quod de *Timaeo* CICERONEM dicere memini « rerum interdum obscuritas facit, ut non intelligatur oratio" hic in censum venit. Non enim res adeo sunt reconditae, aut obscuriore doctrinâ plenae. Nec poëtica, qualis est in *Phaedro*, dictio, in *Epinomide* sensum involvit. — Attamen non ideo continuo e PLATONIS scriptis hunc ejiciam dialogum. Si verum est, quod vulgo creditur, senem demum haec scripsisse Philosophum, aetas forsitan

maxime in causis erit; senilis quoque aetatis alia inesse videntur in dialogo indicia; nimia quaedam dictorum ubertas, qua saepe eadem repetuntur, plura fere promittuntur, quam solvuntur. — Stultus praeterea fuisset sive PHILIPPUS sive, quisquis fraudem in fingendo dialogo Platonico commiserit, si doctrinae gloriam inanem in dictis obscuris quaesivisset; quo nil ab ipso, quem imitari studeret, PLATONE alienius. Nec stultum tamen auctorem dialogi ratio et argumentum prodit. — Sed mittamus dictionem. In ipsas sententias invehitur ASTIUS: « *Die unplatonische* « *Vergötterung der Mathematik, welcher doch* « *Platon in der Politia selbst den Namen der ächten* « *Wissenschaft abspricht* s. VII. 533. B. C. *vergl.* « VI. 510. D. E. *die Ansicht von den Elementen,* « 984 A. *die mit der in Timaeos* (40 A. 81 E.) « *aufgestellten in Widerspruch steht; die Vergöt-* « *terung der Sterne, und so vieles andere, was* « *sich gleich auf den ersten Blick als unplatonisch* « *ankündigt.*" — Singula deinceps explicemus. Ad geometriam quod attinet, nullam inter Platonicam in *Republica* doctrinam et hanc in *Epinomide* vera est pugna. Sive enim recolas, quae pag. 977 seqq. de numero habet, sive quae p. 990 de numerorum ortu dicit PLATO, invenies eum numerorum et numerandi in vitâ usum extollere; horum peritiam, utpote divinum quid, et Deorum dono concessam, summis efferre laudibus; a numerorum autem scientiâ diserte distinguere Geometriam (p. 990 D. E.). Quocirca Geometriae illa in libris *de Rep.* reprehensio, quod scilicet somnietur quasi περὶ τὸ ὄν, et ὑποθέσεσιν utatur, quarum rationem reddere nequeat, non cum his

certare censenda est. Praeterea non Geometriae usum carpi a PLATONE, omnes vel minime ejus de institutione puerorum sententias edocti, probe norunt. Solummodo, ubi cum veris disciplinis comparetur, Geometriae artis minus excellere ipsi videtur ratio. — Parum quoque justa est illa de Elementis querela. Hoc tantum nomine in *Epinomide* diversa est PLATONIS doctrina, quod quintum hic memoratur Aether. Nec tamen omne discrimen continuo veram sententiarum pugnam parit. Aethere Daemones orti dicuntur, nec illius in aliis gignendis *ζώοις* usus fuit, quare inter rerum omnium elementa ne numerari quidem alibi potuit. Sic et alii multi scriptores, ubi de Daemonum natura agunt, quintum hoc, aetherem, elementis addunt. — Denique ex eo, quod astra in *Epinomide* Dii vocantur, argumentum petit ASTIUS, quo immerito PLATONI adjudicatum esse scriptum demonstret. At hujus argumenti vim et rationem minime percipio. Quid enim? Sexcenties alibi, in *Timaeo* praesertim idem fert de Astris judicium PLATO. *Θείων ἄστρων γένος* ubivis fere commemoratur. Ita porro haec doctrina Platonicae Cosmogoniae et Theogoniae convenit, ut, si hanc tollas, omnia quae de Diis junioribus referantur, prorsus intelligi nequeant. Quare nemo unquam nisi Platonici quidam vani, Hebraicae Cosmogoniae cum Graeca consensum sectantes, illam pervertere, nedum PLATONI abjudicare, sustinuit.

Haec adversus ASTIUM dicta sunto. — Constans autem fere est Veterum opinio, revera PLATONEM *Epinomida* scripsisse; nec tantum valent DIOGENES LAERTIUS et SUIDAS, ut communi caeterorum tes-

timonio certam demant auctoritatem. Diogenes autem vel ipse dubitat: *ἔνιοί τε φασὶν*, inquit, *ὅτι Φίλιππος ὁ Ὀπούντιος τοὺς νόμους αὐτοῦ μετέγραψεν ὄντας ἐν κηρῷ, τούτου δὲ καὶ τὴν Ἐπινομίδα φασὶν εἶναι.* L. III. S. 37. Quid? quod idem alibi (L. I. 50) inter germana Platonis scripta *πολιτικά* *Epinomida* quoque recenset? — Suidas autem certius affirmat, cum φιλοσοφόν refert, *ὃς τοὺς τοῦ Πλατώνος Νόμους διεῖλεν εἰς βίβλια ιβ. τὸ γὰρ ιγ. αὐτός προσθεῖναι λέγεται.* *Voce* φιλοσοφὸς Cf. in hunc locum Nicomach. *Arithm.* I. 6. Tennemann. *System.* I. 92. Ast. *Pl. Leben* etc. p. 391.

Mihi igitur non adeo magnae adesse videntur dubitandi rationes, quin recte existimarint antiquiores, hunc quoque Dialogum Platonis scriptis addendum esse. Platonem in eo Hospitis ore disputantem audire videor, qualem fere ex caeteris eum cognovi sermonibus, egregium, amabilem philosophum. Dictio non sane illa poëtica est juvenis philosophantis, qualis in *Phaedro*; sed orator loquitur senex, nondum vigore virili destitutus, semper eloquentiâ gratus, animi simplicitate facundus. Alii igitur dialogi argumenti simul gravitate et novitate magis placeant; me quoque Socrates cum Phaedro ad Ilyssum, convivae in Agathonis aedibus; optimi discipuli in carcere magistrum adeuntes; Gorgias victus, Polus arrogans irrisus; atque Callicles repulsus a Socrate: hi, inquam, multo magis me tenent quam Hospes *Legum* libris parvam addens de sapientiâ disputationem; sed caveant omnes, ne, minus qui placeat, confestim rejiciant dialogum.

D.) Ad pag. 46. TIMAEUS LOCRUS περὶ ψυχᾶς κόσμω καὶ φύσιος· Hoc nomine hodieque insignitur libellus, de cujus auctore, aetate, origine varie fuit omni aetate disputatum. Si enim hoc scriptum cum PLATONIS conferas *Timaeo*, omni caret dubio, quin alterum ad alterum esse compositum dicas, sive PLATO Pythagoreorum e TIMAEI Locri scripto plenius edoctus doctrinas de rerum ortu, eas suo deinde more uberius expresserit, sive auctor libri *de Anima mundi* compendium e PLATONIS *Timaeo* dare voluerit. Utraque sententia suos egregios habuit defensores; antiquiore aetate illa fere praevaluit, recentiore memoria hanc magis tuiti sunt Viri Docti. Quaeritur porro, si ante PLATONEM talem de *Anima mundi* opus affuerit, utrum revera TIMAEUM Locrum, PLATONIS aequalem, habuerit auctorem, atque utrum nobis germanum illud et integrum scriptum sit servatum. Has autem quaestiones, utpote minus ad nostrum argumentum pertinentes missas facimus; sed de primâ illâ paucis hic agere lubet; non quod novi quid proferre speramus, verum ut scribendo ipsi de re fiamus certiores.

Conferentibus igitur PLATONIS *Timaeum* cum libello *de Mundi anima* sponte patet de eadem re sermonem esse, iisdemque saepissime verbis auctores uti, quin imo iisdem comparationibus saepe res illustrari, ut est ex. gr. illa, quâ materia τιθήνη, ματήρ vocatur, idea seu exemplar πατήρ. PLATO 119. A. 50. D. TIM. 94. A. B. — Ordo autem in utroque diversus est; incipit TIMAEUS ab eo, quod PLATO medium quasi injicit. Saepe tamen eodem loco eadem memorant. Sic uterque animum port corpus

mundi commemorat, uterque autem minus apte hoc fieri declarat. Caeteroquin in Timaei Locri libello desiderantur multa, quae Plato habet, pauca tantum adduntur quae in *Timaeo* Platonis non reperiuntur, quibus haec vel illa sententia, utrique communis, explicetur. Timaeus Locrus fere brevius et quasi summatim sententias de rerum ortu profert. Plato pluribus disserit, argumentisque magis res demonstrat. Non procul tamen ab initio ipse quoque Timaeus Locrus fusius uberius disputat. Auctor libelli *de Anima mundi*, alterius fere videtur referre verba cum sic orditur: Τιμαῖος ὁ Λοκρὸς τάδε ἔφα. (Vid. tamen de tali exordio, Wyttenb. ad. *Select. Historic.* Annot. init. p. 344.) Paucis autem intermissis tertiam mutat tacite in primam personam. In utroque scripto Pythagorica mixta est et Platonica doctrina; Timaeus tamen Locrus in Pythagoricis sententiis aliis fere quam Plato utitur verbis, in Platonicis iisdem. Vid. Tim. Locr. p. 99. A. B. C. et 100. A. B. Multa magis perspicue dicta sunt et, adjectis verbis, illustrata a Timaeo Locro.

Ex his omnibus, quin sponte sua quisque colligat alterum alterius usum esse scripto, nullus dubito. Nec etiam mirarer, si vel ex hisce quis suspicaretur auctorem libelli *de Anima mundi* scribendo illud sibi proposuisse, ut sententiarum quandam summam e Platonis faceret *Timaeo*, Timaei ibi prolatam doctrinam in compendium redigeret. Quid enim? An Platonis refert scribendi morem, verbis, comparationibus uti, quibus alius de eadem re ante eodem prorsus modo usus sit? Num Platone dignum est, censere, obscuriorem etiam amplificando reddidisse

Timaei doctrinam? Ergone haud satis Pythagoricae doctrinae gnarus fuit Plato, optimorum Pythagoreorum, ipsius Timaei discipulus peritissimus, et studiorum socius? Quid? quod Plato certe non eo usque Timaeum fuisset secutus, ut errorem quoque, quo animi ortum post corporis generationem memorat, imitatus esset? — At vero aliae quoque accedunt, eaeque graviores rationes, quae nostram suspicionem confirmant. Verbis nonnullis utitur Timaeus, quae fere interpretem Platonis indicant. Sic ubivis παράδειγμα illud aeternum ἰδέαν vocat; Plato autem diserte adeo illud non expressit. Materiam seu χώραν Platonicam ὕλην dicit; vocem autem frustra apud Platonem hoc sensu quaeres. Aristoteles demum hanc ita usurpat. Dictio quoque, ἐφαμέρια ζῶα (p. 90. D.) quâ mortalia animantia indicat, recentiorem redolet aetatem. Quatuor illae virtutes, quas Platonici *Cardinales* vocarunt, commemorantur a Timaeo; cum tamen haec virtutum distributio et quasi partitio a Platone demum excogitata videatur, certe inter antiquiores Pythagoreos non adeo invaluerit. Deinde a Timaeo fere explicari putes Platonem. Sic λογισμόν illum νοθόν, quo ad materiae notionem perveniamus, explicat addendo: τῷ μήπω κατ' εὐθυωρίαν νοῆσθαι ἀλλὰ κατ' ἀναλογίαν· p. 94. B. Cum Deum dicit in creando mundo ad exemplar respexisse aeternum νοητόν, hoc illustrat adjiciens: οὐκ ἐς χειρόκματα παραδείγματα ἀλλ' ἐς τὰν ἰδέαν respexit. p. 94. E. Sic de tempore loquens, verba αἴωνος εἰκὼν, quibus Plato utitur, explicare videtur hisce: εἰκὼν δὲ ἐστι τῶ ἀγεννάτω χρόνω, ὃν αἰῶνα ποταγορεῦμες p. 97. D. Porro quaedam non immerito suspicari possis, minus recte per-

cepta fuisse a compilatore, qui hoc libello PLATONIS vellet complecti TIMAEUM. Etenim p. 94. C. haec habet: ἀγαθὸς ὢν ὁ θεὸς ὁρῶν τε τὰν ὕλαν δεχομέναν τὰν ἰδέαν καὶ ἀλλοιουμέναν παντοίως, quibus respondent TIMAEI apud PLATONEM verba, pag. 52. D.; sed ita sunt perversa et male posita, ut aperte PLATONIS et Pythagoreorum etiam sententiae obloquantur. Non enim materia, cum jam ab ideis formam acceperit, adhuc fluctuat quasi et motu agitatur incondito. Sic alibi quoque ubi de animi mundi compositione ex individuo et dividuo sermo est, ab his secernit τὴν τοῦ ταὐτοῦ καὶ θατεροῦ φύσιν; namque dicit: ᾧ ποτέμιξε δύο δυνάμεις ἀρχὰς κινασίων, τᾶς τε ταὐτῶ καὶ τᾶς τῶ ἑτέρω· quod tamen in hac animi compositione admitti posse non videtur. — Denique tria recenset rerum principia, Ideam, Deum, Materiam, (ἰδέαν, θεόν, ὕλην pag. 94. B.) qualia diserte adeo non nominat PLATO, qui τὸ ὄν, τὴν χώραν καὶ τὴν γένεσιν recenset. PLATONIS demum interpretes magis perspicue, licet verissime, Deum, Materiam Ideam, tria dixere principia. — Tandem observetur, quod dicitur in libello *de Mundi anima*: ποταγορεύοντι δὲ τὰν ὕλαν, τόπον καὶ χώραν. ARISTOTELES autem Phys. IV. 2. observat, PLATONEM hanc sententiam primum protulisse. Idem testatur quoque PLUT. de Def. Orac. p. 415. Idem ARISTOTELES nos edocet, ante PLATONEM neminem tempus creatum dixisse. TIMAEUS tamen Locrus hanc tamquam notam citat sententiam.

His omnibus animadversis, nulla fere dubitandi mihi superest ratio, quin libellus *de Mundi anima* secundum PLATONIS *Timaeum* sit compositus. Caeterum,

ubi repates ante PROCLUM non invaluisse opinionem, PLATONEM e TIMAEI Pythagorei libello *de Mundi anima* suas petiisse sententias; ultimo fere effugio destituuntur illius fautores. Nil enim valent JAMBLICHI aut SIMPLICII testimonia. Cf. porro DIOG. LAERT. III. 24. qui verba affert plurima, quibus primus in philosophia usus sit PLATO. BARDILI *Epoch. der philos. Begriffe*. qui PLATONIS *Timaeum* ad libellum *de Mundi anima* compositum censet; cui sententiae favet quoque GALEUS in *praef. ad ed. Timaei Locri de an. m. in Op. Myth.* — Nobis assentientem habemus Clar. TIEDEMANNUM in *Argum. dial. Plat.* TENNEM. *System.* I. 98. seqq. ASTIUM *Platon's Leben und Schr.* p. 373. — Alteri opinioni addictus est BRÜCKERUS *Hist. Phil.* II. L. II. C. 10. p. 1127. Cf. quoque FABRIC. *Bibl. Gr.* III. 1. 3. II. 15.

E.) Ad pag. 69. Τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ξυνεκεράσατο οὐσίας εἶδος τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ περὶ καὶ τῆς θατέρου.

Est locus e difficillimis in *Timaeo*.— Quod ad lectionem attinet, DAVISIUS (ad CIC. de Nat. D. I. 8) proposuit ultimum illud περὶ ejicere. « Sic certe, inquit, « legit SEXTUS EMPIRICUS Pyrrhon. Hypoth. III. 24. " — Sed locus nil probat, non enim eodem, quo apud PLATONEM, ordine verba proferuntur. Minus etiam alter, quem citavit DAVISIUS e SEXTO, locus adv. Matthem. p. 60. rem conficit. In toto enim hoc libello nil simile occurrit. Jure meliori attulisset alium SEXTI adversus Grammat. locum. L. I. 13. ubi ipsa citans haec omnia

PLATONIS verba, ultima exhibet, omissâ praepositione. CICERO vertit: „ quod esset ejusdem naturae et quod alterius." FICINUS: „ quae rursus esset naturae ipsius ejusdem et naturae ipsius alterius particeps." — Ex his TENNEMANN conjicit alium eos etiam secutos esse lectionem. EUSEBIUS tamen in Praepar. Evangel. III. p. 696 locum citans, praepositionem addit. LINDAVIUS itaque, nuperrimus *Timaei* editor, (prodiit editio, multis nominibus laudanda, Lips. 1828) vulgarem retinere jubet lectionem, et de praepositione, „ manifesto abundat", inquit, „ quam abundantiam jam adnotavit HEINDORFIUS, ad *Phaedr.* § 29; ac potest fortasse ubique reddi, *diço*, cum casu quarto. Similiter de *Lege* X p. 185." — Mihi quoque retinenda vox videtur, hasce maxime ob causas. Omnes, quos jam collatos novimus, codices eam exhibent, et certe in eo, quo usus est EUSEBIUS, jam affuit. Satis antiqua adeo foret mutatio, si a PLATONE vocabulum non esset additum. Talis tamen mutatio ideo nobis minus vero similis videtur, quod non intelligimus, quomodo factum esse potuerit, ut vox adeo obscura consulto a librariis addita fuerit. Facilis et in promtu est omissionis causa; sive enim SEXTUS memoriter citans locum vocem omiserit, sive librarius e codice, quo ipse SEXTUS usus est, consilio eam ejecerit.

Caeterum admodum placet viri Cl. LINDAVII explicatio, qua tamquam in parenthesi ultima collocentur verba et in praepositione ellipsin agnoscamus; ita ut plenum sit: τῆς ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς θατέρου εἶναι. Non vulgaris est haec praepositionis vis; attamen quis insolita vetabit? Locus prae-

terea e *Legibus* nostro est perquam similis. Si quis tamen cum HEINDORFIO facere malit, haud valde repugnem.

Haec de lectione. Majore autem difficultate premitur loci sensus, ita ut SEXTUS idem EMPIRICUS: „πῶς γάρ τις δύναται τῶν ἀφρυωμένων γραμματικῶν Ἡράκλειτον συνεῖναι καὶ Πλάτωνι παρακολουθῆσαι λέγοντι· τῆς ἀμερίστου. κ. τ. λ." — Itaque vehementer dissentiunt interpretes. ARISTOTELES contendit PLATONEM his nil indicare voluisse, nisi animum ex omnibus elementis rerum esse compositum, *de An.* I. 2. In *Metaphysicorum* tamen libro VI. 2. haec habet: „ὥσπερ Πλάτων τά τε εἴδη καὶ τὰ μαθηματικὰ δύο οὐσίας, τρίτην δὲ τὴν τῶν αἰσθητῶν σωμάτων οὐσίαν (οἴεται εἶναι)." — Quid sint illa μαθηματικά non adeo liquet. Putem materiam, locum indicari. Cf. PLUT. Quaest. Plat. III. — Auctor libelli *de Mundi Anima* ab individuis sejungit τὸ ταὐτοῦ καὶ θατέρου; dicit enim: „κρᾶμα αὐτὰν (τὰν ψυχὰν) κερασάμενος ἔκ τε τᾶς ἀμερίστω μορφᾶς καὶ τᾶς μεριστᾶς οὐσίας, ὡς ἓν κρᾶμα ἐκ δύο τουτέων εἶμεν· ᾧ ποτέμιξε δύο δυνάμεις ἀρχὰς κινασίων, τᾶς τε ταὐτῶ καὶ τᾶς τῶ ἑτέρω, ἃ καὶ δύσμικτος ἔσσα οὐκ ἐκ τῶ ῥάστω συνεκίρνατο": p. 95. E. 96. A. Hunc errorem, (error enim nobis videtur), commisit quoque PLUTARCHUS de An. procr. in Tim. 25: « τὸ ταὐτὸν καὶ τὸ θάτερον, ἐναντίας δυνάμεις καὶ ἀκρότητας ἀντιπάλους, συνηγαγεῖν, οὐ δὲ αὐτῶν ἀλλὰ οὐσίας ἑτέρας μεταξὺ, τὴν μὲν ἀμέριστον πρὸ τοῦ ταὐτοῦ, πρὸ δὲ τοῦ θατέρου τὴν μεριστὴν, ἐστὶν ᾗ προσήκουσαν ἑκατέρᾳ ἑκατέρα τάξις, εἶτα μιχθείσαις ἐκείναις ἐπεγκεραννύμενος, οὕτως τὸ πᾶν συνύφηνε ἓν τῆς ψυχῆς εἶδος, ὡς ἦν ἀνυστὸν ἐκ διαφόρων ὅμοιον, ἐκ πολλῶν ἓν ἀπειργασμένος.

Attamen revera eadem esse *τὸ ταὐτὸν* et *τὸ ἀμέριστον*, ac *θάτερον καὶ τὸ μεριστον*, vel ex eo patet, quod *οὐσία* illa, quae adeo ex PLUTARCHI sententia ejusdem et diversi foret complexus, ab his deinceps secernatur. Cf. porro Cap. 24. 26. et Plat. Quaest. III. Alibi autem ita rem explicat PLUTARCHUS: *τὴν τῇ ἀμερίστῳ συγκεραννυμένην φύσει, καὶ περὶ τὰ σώματα γίνεσθαι λεγομένην μεριστὴν, οὔτε πλῆθος ἐν μονάσι καὶ στιγμαῖς, οὔτε μήκη καὶ πλάτη λέγεσθαι νομιστέον, ἃ σώμασι προσήκει, καὶ σωμάτων μᾶλλον ἢ τῆς ψυχῆς ἐστιν, ἀλλὰ τὴν ἄτακτον καὶ ἀόριστον, αὐτοκίνητον δὲ καὶ κινητικὴν ἀρχὴν, ἐκείνην ἣν πολλαχοῦ μὲν ἀνάγκην, ἐν δὲ τοῖς Νόμοις ἄντικρυς ψυχὴν ἄτακτον εἴρηκε καὶ κακοποιόν.* de An. procr. in Tim. C. 6. Rectissime, ut opinor. Nam, licet proprio magis sensu materia indicari mihi videtur, intelligitur tamen haud dubie, materiae vis innata, quae eadem est ac Necessitas. Utrum recte eam comparaverit PLUT. cum malo illo animo de quo in *Legum* decimo libro sermo est, alia est quaestio; sed ea non hujus loci est. — Non alienus ab hac PLUTARCHI sententia ALCINOUS etiam videtur, vid. Introd. C. 14 initio. E recentioribus mecum facit, PLUTARCHO fere assentiens, TIEDEM. *Geist der Spec. philos* II. B. S. 133. BORGERUS nostras *τὸ ἕτερον* dicit confusum materiae motum *in op. Theol. Soc. Teyl*, XXVI pag. 32.

CHALCIDIUS duas memorat quas varii tuentur, sententias, alteram, quâ species intelligibilis mundi, ad quas corporum formas fingeret Deus, *individui* nomine dicatur, materia vero *dividuum* vocetur; alteram, quâ *individuum* intelligatur eminentior anima, cujus puritas nullâ corporis contagione com-

maculetur; *dividuum* vero illa anima, quae animalibus et plantis vigorem det vitalem. pag. 98–104. — Nobis autem harum neutra ullomodo probari posse videtur. Egregie Platonicae hac de re doctrinae vim percepit PLOTINUS, nobilis ille cum AMMONIO et POTAMONE Eclecticae sectae parens, Platonicorum Alexandrinorum princeps. (de eo vide BRÜCK. *Hist. ph.* Per. II. P. I. L. I. C. 2. S. 4.) Hic enim docet, animorum initium et fontem quasi in mundo esse νοήτῳ. Illinc eos ad nos deferri. Hanc autem ob rem *individuam* animis inesse naturam, ut iis maneat cum coelicolis et ipso Vero consuetudo, attamen *dividuae* eos participes esse naturae, ut corporibus injungi queant. Ennead. IV. L. I. legatur etiam L. II. — PROCLUS pauca et obscuriora habet L. V. Plat. Theol. C. 30. Caeterum TENNEMANNI V. Cl. explicatio, magis etiam Pythagorica videtur, quam ipsius PLATONIS doctrina. Haec ejus sunt verba: « *Die Seele ist ein Subject, in welchem Einheit, Einförmigkeit, und Vielheit, Mannichfaltigkeit der Bewegung angetroffen wird.*" Pag. 67. Vol. III. Dubitare quis possit, an ipsius auctoris Interpretisve obscuriora sint verba. Praeterea aliunde nimis petita videtur.

F.) Ad pag. 77. TIMAEI LOCRI in libello *de Mundi anima* verba, quae nostris respondent, haec sunt: « Δηλόμενος ὢν ἄριστον γέννημα ποιῆν, τοῦτον ἐποίη θεὸν γενατόν, οὔ ποκα φθαρησούμενον ὑπ' ἄλλω αἰτίω ἔξω τῶ αὐτὸν συντεταγμένω θεῶ, αἴ ποκα δήλετο αὐτὸν διαλύεν. ἀλλ' οὐ γὰρ τἀγαθῶ ἐστὶν ὁρμὰ ἐπὶ φθορὰν γεννάματος

καλλίστῳ· διαμένει ἄρα τοιόσδε ὢν ἄφθαρτος καὶ ἀνώλεθρος καὶ μακάριος." pag. 94. E.

Hac enim ratione disputat ipse Plato: Ut genitus hic mundus aeterno mundi exemplo foret similior, optimus opifex aeternitatem illi dare constituit. Verum enim vero τῷ γεννητῷ hanc ab omni concedere parte non valebat (obstabat scilicet Necessitatis lex). Tempus ideo excogitavit, aeternitatis sempiternam imaginem, quod coelestium corporum motu conficeretur. Simul igitur cum coelo tempus existitit, ut simul orta simul etiam solvantur, si tamen aliquando eorum fiat dissolutio (ἄν ποτε λύσις τις αὐτῶν γίγνηται). Mundi adeo νοητοῦ exemplar per omnem est aeternitatem; genitus noster mundus per omne tempus fuit, est, eritque. p. 37. D. 38. C. Hoc nomine, quod aeternum hoc rerum Universum dixerit Plato, eum quoque reprehendit apud Ciceronem Velleius. « Longum," inquit, « est omnia, quae talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur. Sed illa palmaris quidem, quod, qui non modo natum mundum introduxerit, sed manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum. Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? Quae est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum?" Nat. Deor. L. I. 8. Cf. Acad. Quaest. IV. 37.

Plutarchus rite cepit mundi aeternitatis Platonicam demonstrationem: « Πυθαγόρας, inquit, καὶ Πλάτων γεννητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον, καὶ φθαρτὸν μὲν, ὅσον

[illegible] εἶναι [illegible] [illegible] de Plac. philos. Huic ipse tamen PLATONI dissentire se fatetur l. 5. Queritur enim multos jam sua aetate adeo contorquere PLATONIS verba, ut ab aeterno fuisse, nec aliquando genitum a Deo esse mundum, contendere Philosophi viderentur [illegible] in Tim. 4. Nam [illegible] PLATONEM [illegible] indignum [illegible] sempiternum dicere. PROCLUS in [illegible] demonstrat, quomodo mundus creatus aeternus esse possit, l. II. 3. IX. [illegible] tamen [illegible] magis quam e PLATONE [illegible] Uno autem loco hoc profert argumentum, scilicet aeternum esse mundum, quoniam non habet εἰς ὃ φθαρήσεται. Hinc explicantur DIOGENIS LAERTII verba: [illegible] L. III. S. [illegible] Animus enim mundi dissolveretur in Deum [illegible] AMBROSII tamen codices habent [illegible] APULEIUS porro mirum in modum vacillat et varia confundendo in errores abit. Etenim de PLATONE pronuntiat: "Hunc quidem mundum nunc sine initio esse dicit; alias originem habere natumque esse; nullum autem ejus exordium atque initium esse ideo, quod semper fuerit; nativum vero videri, quod ex his rebus totius natura et substantia ejus constet, quae nascendi sortitae sunt qualitatem. Hinc et tangitur et videtur sensibusque corporeis est obvius. Sed quod ei nascendi causam Deus praestitit, ideo immortali perseverantia est semper futurus" de Hab. doctr. I. 6. PLATO autem numquam, quantum scio, initio ca-

nere mundum dixit; nam tempori etiam initium, licet remotissimum tribuit. — CHALCIDIUS quoque testis est, creatum simul verumtamen aeternum dici a PLATONE mundum. Comm. p. 96. Quae etiam LACTANTII est sententia Inst. div. II. 11. — Idem, VII. 1. „Exponam igitur," inquit, „rationem mundi, ut facile possit intelligi et quando et quare sit effectus a Deo: quod PLATO, qui de mundi fabricatione disseruit, nec scire poterat nec explicare, quippe qui coeleste mysterium, quod non nisi Prophetis ac Deo docente discitur, ignorabat; ideoque in perpetuum dixit esse fabricatum, quod longe secus est." Cf. VII. 3. PROCLUS Theol. Plat. V. 26. Deum vocat: τὸν δημιουργὸν τοῦ κόσμου καὶ τὸν τῆς ἀθανασίας χορηγόν. Cf. BOËTH. Consol. V. 6. De tempore legantur PLUT. de Plac. I. 21. seq. DIOG. III. 73. APUL. I. 6. — Multis verbis disputarunt Platonici, utrum tempus expers initii sit, an aliquando initium habuerit; aut quaerunt, quid fuerit antequam tempus esset; inanes autem sunt quaestiones, quae hoc tantum probant, quantopere a verâ Philosophi mente deflexerint viri docti. Provocant fere ad verba illa in *Legum* libro VI. 782. A. ἀμήχανον ὅσον χρόνον; quae numquam creatum fuisse tempus, significare perhibent.

G.) Ad. pag. 77. *Tria rerum principia.* PLUTARCHUS diserte testatur: de Plac. phil. I. 3. Assentiuntur APULEJUS hab. doct. I. 5., ALCINOUS Introd. 8. 9. 10. — CICERO Accad. Quaest. IV. 37. materiam tantum et Deum recenset, et sic etiam DIOG. LAËRT. III. 69., ubi τῶν ἀπάντων ἀρχὰς PLATO-

NEM dixisse refert θεὸν καὶ ὕλην. Sectione autem 75, αἴτια pariter duo esse ait; τὰ μὲν διὰ γνώμην (sic enim legendum videtur) τὰ δ' ἐξ ἀναγκαίας εἶναι αἰτίας. Et ad haec loca respiciens, Sect. 76 dicit: ἀρχὰς μὲν οὖν εἶναι καὶ αἴτια τὰ λεχθέντα δύο, ὧν παράδειγμα τὸν θεὸν καὶ τὴν ὕλην: quae significant: Rerum causae et initia duobus hisce continentur, Deo et Materia; Deus autem simul exemplar est, ad quod Mundus compositus est. Cf. S. 72. Sect. 77, tertiam addit causam, γένεσιν. Videtur adeo DIOGENES Exemplar rerum aeternum, utpote Dei menti insitum, idem ac Deum habuisse.

CICERO tamen l. c. non indicat se putare Exemplar idem ac Deum a PLATONE habitum esse. Omnium philosophorum affert universam de rerum initiis doctrinam; sufficiebat adeo τὸ ἄγον καὶ τὸ πάσχον recensere αἴτιον.

Γένεσιν autem, cujus meminit quoque DIOGENES, et quae eodem sensu a PLATONE commemoratur, (*Tim.* p. 52 D.) ita definit e PLATONIS doctrina PLUTARCHUS: γένεσιν δὲ τοῦ κόσμου μήπω γεγονότος οὐδεμίαν ἄλλην ἢ τὴν ἐν μεταβολαῖς καὶ κινήσεσιν οὐσίαν, τοῦ τυποῦντος καὶ τοῦ τυπουμένου μεταξὺ τεταγμένην, διαδιδοῦσαν ἐνταῦθα τὰς ἐκεῖθεν εἰκόνας. Est igitur, ut nos diximus Diss. pag. 62. illa generandi vis aut, si mavis, genitricis naturae actio, quae et in Deo et in materia cernitur, cujus loco Deus, utpote summus genitor, recensetur. CHALCID. minus recte, *quantitates* et *qualitates* dicit γένεσιν, p. 455. In Definitionibus, quae PLATONI a nonnullis tribuuntur, γένεσις definitur, κίνησις εἰς οὐσίαν. Leg. porro, quae habet MENAGIUS in *nota* ad locum DIOGENIS, CYRILLI

verba contra Jul. H. — Proclus N. 16. Sext. Emp. adv. Phys. II. p. 676 ed. Fabr. — Tim. Locr. duo αἰτίας memorat νοῦν et ἀνάγκην, tria vero principia Deum, Materiam, Ideam, 93 A. 94 B.

H) Ad pag. 133. Minus honorifice de Deo Platonis sentit Velleius apud Ciceronem de Nat. D. I. 12. « Qui jam de Platonis inconstantia longum est dicere, qui in Timaeo patrem hujus Mundi nominari neget posse; in Legum autem libris, quid sit omnino Deus, anquiri oportere non censeat. — Idem et in Timaeo dicit et in Legibus, et mundum Deum esse, et coelum et astra et terram et animos, et eos quos majorum institutis accepimus; quae per se sunt falsa perspicue et inter sese vehementer repugnantia. Atque etiam Xenophon paucioribus verbis eadem fere peccat. Facit enim in iis, quae a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam Dei quaeri non oportere; eundemque et solem et animum Deum dicere; et modo unum, tum autem plures Deos; quae sunt iisdem in erratis fere, quibus ea, quae de Platone diximus." Recenset deinde omnium, qui e Platonis doctrinâ profecere, errores. Cap. 13. — Ne vero quis putet Ciceronem turpiter adeo Platonis sententiam confudisse. Apte hanc orationem Velleio dedit Epicureo, nimis inconsiderato, sectae fautori. Quem enim e *Legum* libro VII. p. 821. A. attulit, locum aperte pervertit aut saltem male intellexit. Nam *οὐδαμῶς ἀνεκτὸν* dicit, perhibere *τὸν μέγιστον θεὸν — οὔτε ζητεῖν δεῖν οὔτε πολυπραγμονεῖν τὰς αἰτίας ἐρευνῶντας*. Est enim *καλόν τι καὶ ἀληθὲς μάθημα καὶ πόλει ξυμ-*

φέρων [illegible] φύσιν; quod nullomodo [illegible] φράζειν. Locus quem e XENOPHONTIS Memorabilibus respexit, invenitur in libro IV C. III § 13. Recentiores PLATONIS Interpretes melius distinguunt. ALCINOUS Introd. c. 10. Deum vocat mentis agentis causam, ipsa mente potiorem; αἴτιον [illegible] ὑπάρχειν [illegible] τοῦ [illegible]. Totum caput ubivis rei certissima indicia exhibet. Non ubivis tamen aeque fidus PLATONI adhaeret Interpres. APULEIUS passim unum fabricatorem Deum, rerum causam, ab omnibus caeteris Numinibus distinctum, memorat. Hab. doct. Plat. I. 3. etc. PLUTARCHUS PLATONIS Deum ita definivit: τὸ ἓν τὸ μονοφυὲς καὶ αὐτοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθὸν. Plac. philos. I. 7.

LACTANTIUS div. Inst. I. 5. « Plato, qui omnium sapientissimus judicatur, monarchiam plane aperteque defendit, nec aethera, aut rationem, aut naturam, sed, ut est, Deum nominat." et V. 15. « Plato quidem multa de uno Deo locutus est, a quo ait constitutum esse mundum; sed nihil de religione. Somniaverat enim Deum, non cognoverat." Cf. etiam CLEM. ALEX. Cohort. 44 seqq. De minoribus Diis data opera agit ALCINOUS in cap. 14. 15. 16. et multa egregia habet. Cf. APULEIUS Hab. doctr. Plat. I, 8. PROCLUS V. 16. 18. AUGUSTINUS Civ. D. VIII. 12. 13. — MAXIMUS TYRIUS Diss. XVII. 12. regni divini seriem quandam constituere Deos minores dicit, quae, tamquam catena, a Deo Summo ad terram descendat.

J.) Ad pag. 133. Quantopere sententias PLATONIS perverterint nonnumquam Interpretes, indicio

sit hoc unum, quod PLATONEM Trinitatis cujusdam, quae dicitur, fautorem effecerint. Tres enim summos Deos statuere arbitrantur, pari praeditos aut saltem aeque divinâ potentiâ et, ut ajunt, essentiâ. PLOTINUS, PORPHYRIUS, NUMENIUS, PROCLUS hujus sententiae auctores exstitere. Quisque tamen suo fere modo. Omnes autem futilem agunt quaestionem, inania verba sectantur, quae ad suum dogma trahunt et componunt. Lubet tamen paucis de iis monere. Non quo refellam eorum rationes; rationes enim, animadversione dignas, non afferunt, nec tam stulta opinio refutatione indiget. Verum quo eorum pateant vana et puerilia conamina.

NUMENIUS duos tantum tales Deos apud PLATONEM deprehendisse videtur; primus est τὸ ἓν νοῦς, πρῶτος, αὐτοαγαθόν. Secundus νοῦς, ἄγαθον. Vide EUSEB. *Praep. Euang.* XI. C. 18. Nam quae PROCLUS in Tim. Plat. II. 93, refert πατέρα μὲν καλεῖ τὸν πρῶτον, ποιητὴν δὲ τὸν δεύτερον, ποίημα δὲ τὸν τρίτον, aut ad NUMENIUM non pertinere, aut male intellecta esse videntur. PLOTINUS primum Deum τὸ ἓν, alterum δυάδα seu νοῦν, tertium ψυχὴν mundi animum recenset. Hic ab illo, ille a primo generatur. Ennead. V. L. I. C. 5 et 7. PORPHYRIUS τὸ ἄγαθον vocat, νοῦν mundi opificem, et ψυχὴν mundi animum, apud CYRILLUM adv. Jul. I. 34. PROCLUS haec tria: ἕνωσιν, νοῦν, ψυχὴν affert. Theol. Plat. I. 4. CHALCIDIUS praeterea his accedere videtur, cum Deum summum a mente seu providentiâ, hanc a fato ita sejungit, ut diversa fere Numina videantur. Comm. in Plat. p. 267 seq. MACROBIUM quoque e PLOTINO maxime pendere censeas, in Somn Scip. I. 14.

Somniantibus his et delirantibus quasi interpretibus recentiori quoque memoriâ accessere nonnulli. DACIERIUS vir eruditissimus, et post etiam celeberrimus illë doctissimusque Gallus de CHATEAUBRIAND. Hunc enim ex opere suo « *Genie du Christianisme*" I. L. I. Ch. 5. turpi hoc errore infectum cognovi. Dicit enim, de Trinitate, quam vocant, loquens: « *Platon semble parler de ce dogme dans plusieurs endroits de ces ouvrages. Non seulement, dit Dacier*, (*Oeuvres de Plat. nad.* I. 294.) *on prétend qu'il a connu le Saint Esprit, et qu'ainsi il a eu quelque idée de la très Sainte Trinité. Car il écrit au jeune Dénys:* « *Toutes les choses sont autour de leur Roi; elles sont à cause de lui, et il est seul la cause des bonnes choses, second pour les secondes, et troisiéme pour les troisiémes. — Dans l'Epinomis et ailleurs il établit pour principe le prémier bien, le verbe ou l'entendement et l'ame. Le prémier bien, c'est Dieu; le Verbe ou l'entendement c'est le fils de ce prémier bien, qui l'a engendré, semblable à lui; et l'ame, qui est le terme entre le Père et le Fils, c'est le Saint Esprit.*" — Itane errare sanâ mente posse nostrae aetatis hominem, eruditionis laude caeteroquin clarum! Eo usque igitur valet praejudicata opinio, ut ingenii egregias vires, sanum mentis judicium penitus corrumpat.

Sed age loca quaedam examinemus, quae suam in rem adducere solent illi viri. Sic ex hac quoque inquisitione aliquid proficiemus.

Celeberrimus in hac quaestione locus est ex *Epistola*, PLATONIS, ut quibusdam videtur, *Secunda*, quae ad DIONYSIUM scripta est. « Dicis," sic scri-

bit Epistolae auctor, « dicis, ut retulit Archidemus, qui litteras fert, te non apte satis principii naturam (*περὶ τῆς τοῦ πρώτου φύσεως*) edoctum esse. Aenigmate igitur tibi indidandum est, ne, si forte mari terrâve quid tabulae accidat, lector intelligat. Nam hoc modo res sese habet: *περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν. δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα καὶ τρίτον πέρι τὰ τρίτα.* Animus igitur humanus affectat, qualia illa sint, intelligere, respiciens ad illa, quae animo cognata sunt, quorum tamen nil idonee se habet: *τοῦ δὴ βασιλέως πέρι, καὶ ὧν εἶπον, οὐδέν ἐστι τοιοῦτον· τὸ δὴ μετὰ τοῦτο ἡ ψυχή φησιν.* — Facile ab obscurissimi loci explicatione me liberare possem, afferendo haud ita longe quaesita argumenta, quibus PLATONI Epistolam abnegare suademur. Verum placet virium in interpretando periculum facere. *Regem, summum imperantem, Deum circa omnia esse,* idem est ac, omnia ejus imperio contineri. *Ejus gratiâ omnia esse* dicuntur, quia ipsius perfecti amor rerum est causa, propter suum Pulcri, Boni, Veri studium omnia ordinavit, haec igitur pulcrorum omnium origo exstitit. *Secundus autem circa secunda, tertius circa tertia* dicitur, quia non solum primarum causarum ipse auctor est, verum etiam eorum, quae ex his deinceps fiant. Animus hanc ob rem flagitat illas omnium rerum causas continuas intelligere, cum respiciat ad sui vires, quae causae instar non sunt, nam sufficienter non sunt constitutae. In rege itaque summo tales vires non inveniuntur. Illud, quod hujus voluntatem et jussum sequitur, animus enuntiat. — His ergo nemo suâ sponte

dogma quoddam de tribus Diis, seu tribus Dei personis inesse judicet. De uno Deo, et de perversa ratione, qua animus humanus ad ejus notionem pervenire capiat, sermo est.

Alius, quem varii isti PLATONIS Interpretes spectant, locus est in Rep. VI. 506. seqq. Jam autem risum teneatis amici! — Ἔκγονος τοῦ ἀγαθοῦ ibi memoratur. Hoc illi de Dei filio accipiunt. Nos autem, ad omnia, quae addit SOCRATES attendentes, de rebus pulcris intelligimus, quae eo ipso, quod boni participes sunt, bonae videntur. Nam ὅ τι περ αὐτὸ (τὸ ἀγαθὸν) ἐν τῷ νοητῷ τόπῳ πρός τε νοῦν καὶ τὰ νοούμενα, ταῦτα τοῦτον, inquit, (Sc. τὸν ἔκγονον τοῦ ἀγαθοῦ) ἐν τῷ ὁρατῷ πρός τε ὄψιν καὶ τὰ ὁρώμενα (εἶναι φησί.) 508. C. Sic etiam, λέγει illum θειότατον, quo nomine Deum indicat HOSPES (in Epinom. 186. C., isti mentem a Deo sejunctam interpretantur, alteram Trinitatis personam. Doctrinam, quam audacter tuentur, porro adumbratam putant in *Philebo*, ubi Jovi inesse dicitur regius animus regiaque mens. Hic tres Deos diserte indicari, sejungi, attamen simul conjungi clamitant. — Nos decipi adeo doctos viros admodum dolemus.

At taedet jam diutius inani quaestioni operam dare. Orta est perversa opinio partim exinde, quod doctrinam de tribus in Uno Deo Divinis Naturis, quae ipsis in Sacro Codice inesse videbatur, rationi humanae non repugnare omni studio evincere cupiebant. Avide adeo in PLATONIS scriptis jam illius quasi semina inesse hominibus persuadere studebant; partim vero Interpretes alii, cum PLATONEM suas sententias e Veteris Codicis libris antiquissimis hausisse

compilarent, et hoc de Trinitate dogma iis scriptis contineri sibi persuasissent, omni vi id egerunt, ut hanc quoque doctrinam PLATONI affingerent. JUSTINUS MARTYR. in Apolog. I. 87. CLEMENS ALEX. Strom. V. 717. ATHENAGORAS Legat pro Christ. 26. ORIGENES contra Celsum VI. 10. strenue Platonicam, quam vocant, Trinitatem defenderunt.

PLESSINGIUS quoque Germanus philosophus tres summos Deos a PLATONE celebratos esse contendit in opere: *Versuche zur Aufkl. der Philos. des ält. Altherthums.* I. 284—366. Refellere eum felici successu conati sunt TIEDEMANNUS *Geist der spec. Philos.* II. 118. seqq. TENNEMANNUS *über der Göttl. Verstand etc. in Paulus Memorab.* I. 34. seqq. Caeterum de hoc argumento conferri merentur CUDWORTH. *System. Intell.* IV. S. 36. et OELRICHIUS in doctissimo libello « *Comment. de doctrinâ Plat. de Deo a Chr. et recent. Platonicis varie explicitâ et corruptâ.*" Marburgi 1788. Sect. I. § III. et Sect. II. integra.

K.) Ad. p. 167. Memoratu dignissima videntur, quae de Fato secundum PLATONEM disserit ALCINOUS in Intr. C. 26. « Περὶ δὲ εἱμαρμένης," inquit, « τοιαῦτά τινα τῷ ἀνδρὶ ἀρέσκει. — Ἡ εἱμαρμένη νόμου τάξιν ἐπέχουσα, οὐχ' οἷον λέγειν, ὅτι ὁ μὲν τάδε ποιήσει, ὁ δὲ τάδε πείσεται· — ἀλλὰ ὅτι εἴτις ἂν ἕληται ψυχὴ τοιοῦτον βίον, καὶ τάδε τινὰ πράξει, τάδε τινὰ αὐτῇ ἕψεται. Ἀδέσποτον οὖν ἡ ψυχὴ καὶ ἐπ' αὐτῇ μὲν τὸ πρᾶξαι, ἢ μὴ, καὶ οὐ κατηνάγκασται τοῦτο· τὸ δὲ ἑπόμενον τῇ πράξει καθ' εἱμαρμένην συντελεσθήσεται· οἷον τῷ, Πάρις ἁρπάσει τὴν Ἑλένην, ἐπ' αὐτῷ ὄντι, ἀκολουθήσει τὸ πολεμήσουσι Τρώεσσι περὶ τῆς Ἑλένης οἱ Ἕλληνες. Quia Fatum le-

gis vim habet, non dici potest: hic illud faciet, ille hoc patietur; sed dicendum est, si animus talem elegerit vitam, et talia quaedam fecerit, talia consequetur. Dominum igitur nullum habet animus et penes ipsum est facere quid velit, aut non facere, nec vi ad illud cogitur. Quod vero factum sequitur Fato perficietur. Veluti, Paris Helenam rapiet; hoc in ipsius est potestate; sed hinc sequitur: Graeci propter Helenam bellum inferent Trojanis."

Indefinite nec satis distincte PLUTARCHUS PLATONIS sententiam de Fato hisce memorat: *Πλάτων ἐγκρίνει μὲν τὴν εἱμαρμένην ἐπὶ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν καὶ βίων, συνεισάγει δὲ καὶ τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν·* de Plac. philos. I. 27. CHALCIDIUS largâ omnino et copiosâ oratione de sententia PLATONIS disserit. Nos verborum summam tradere conabimur: « Juxta PLATONEM praecedit Providentia, sequitur Fatum. Ideoque fatum quidem dicimus ex providentiâ fore non tamen providentiam ex fato. Fatum ergo juxta PLATONEM dupliciter intelligitur; unum, cum substantiam ejus animo intuemur; alterum, cum ex his, quae agit, et esse id, et cujusmodi vim habeat, cognoscimus. (Recentiores philosophi dicunt *objectivum* et *subjectivum.*) Possumus ergo inevitabile quidem scitum interpretari, legem minime mutabilem ex inevitabili causâ. Atvero in substantiâ positum fatum mundi anima est tripartita, in ἀπλανῆ sphaeram, inque eam quae putatur erratica, et in sublunarem tertiam. Quarum elata quidem ad superna dicitur Atropos, media Clotho, ima Lachesis. PLATONI placet quaedam ex providentiâ fore, quaedam e fato; et divina quidem atque intelligibilia, quaeque iis proxi-

na sunt, secundum providentiam solam; naturalia vero, et corporea juxta fatum. Prima rerum absoluta creatio providentiae est; salubre rerum regimen secundum leges, mundi animae insinuatas, fati. Fatum, quod in actu positum est, constituitur infinitâ varietate accidentium, et ex infinito in infinitum tempus quae accidunt; ipsum tamen est determinatum et immutabile, semperque eâdem proprietate. Lex, quae in munere atque actu posita fatum continet, habet textum et consequentiam talem: si hoc erit, sequetur illud. Est igitur totum hoc lex et edictum quod fatum proprie vocatur. (Comment. in Tim. p. 235 — 244. — Vide autem quam aliena veris admiscuerit Platonis sententiis. De distinguendo fato ipso a fato, quale est in eventibus obviam, ne cogitavit quidem Plato. Quae vero de mundi animo dicit mera sunt Chalcidiana somnia, allegoriarum redolens studium, quo ὑπόνοια quaeritur, quae non inest. Male quoque distinguit quae secundum providentiam et quae secundum fatum fiant. Vidimus enim animorum sortem fato quoque subjici. Nec adeo distinguenda nobis videntur apud Platonem Providentia et Fatum. Rectius fortasse ad rerum gubernationem magis fatum, ad creationem providentiam retulit Chalcidius et illud in rerum effectibus collocavit. — Multa de fato, eaque egregia habet Plotinus Ennead. III. L. I. C. 2. seqq. Sed enim minus Platonis quam Plotini sententias continent, hic ea omittere praestat.

THESES.

Horatianae Epistolae ad Pisones consilium fuit, ut tum Cn. Pisoni filio, poësin cupidius quam accuratius tractanti, tum aliis etiam ostenderetur, arte ad poësin opus esse.

2.

Verissima esse videtur sententia de Aristotelis libro ΠΕΡΙ ΠΟΙΗΤΙΚΗΣ, quam commendavit Hermannus: „hunc libellum adumbrationem esse partis eorum, quae Aristoteles postea libris de Arte poëtica majoribus copiosius fuerit explicaturus." — Vid. Herm. Praef. ad edit. hujus libri. p. 1.

3.

Ad cognoscendam philosophiam illam, quae saeculo fere secundo ante Chr. Nat. Alexandriae viguit, utilissimus est liber ille, qui in V. F. libris Apocryphis nomine *Sapientiae* insignitur.

4.

Historici munus in ipsius facti inquisitione et propositione cernitur. Factum autem plene intelligi nequit, nisi ejus nexus cum causâ, effectu, aliisque accedentibus factis rite perspiciatur. Haec requiruntur ad pragmaticam illam Historiae scribendae rationem, quam hisce praeclare commendavit Polybius: « Ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται, καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν. (*Hist.* III. 31.)

5.

Apud Veteres bono cive vir bonus censeri fere solebat; quod vel sola virtutum illarum, quae *Cardinales* dici consueverunt, ratio demonstrat.

6.

Expressit igitur plane Veterum rationem Polybius, sic dicens: *φιλόφιλον δεῖ εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ φιλόπατριν, καὶ συμμισεῖν τοῖς φίλοις τοὺς ἐχθροὺς καὶ συναγαπᾷν τοὺς φίλους.* (*Hist.* I. 14.)

7.

Verissime de veterum auctorum interpretatione dixisse videtur Vir. Cl. Heusdius: „Non sufficit lectitasse omnia et tractasse: accedat oportet, quod haud scio an omnium sit difficillimum, studium antiquitatis interius, ut insinues te prorsus in ipsam antiqui aevi cogitandi, sentiendi, dicendi, philosophandi rationem; quod qui non fecit, explicabit verborum dictionumque usum et significationem, ipsam auctoris sententiam et mentem non explicabit." (*Epist. ad Creuzer.* p. 29 seq.). Quod inprimis adversus illos dictum sit, qui recentioris philosophiae placita antiquis philosophis, Platoni praesertim, obtrudunt.

8.

Saepius reprehendi Platonem audimus, quod in plurimis Dialogis ita ab argumento aberrat, ut in alias inquisitiones longius excurrens ipsius Dialogi consilium fere negligat. — Haec tamen inepta videtur re-

prehensio. Etenim excursus illi semper fere argumentum illustrant et commendant, dialogorum egregium sunt ornamentum, et optime eo ducunt, quod summum est philosophiae Platonicae consilium, ut ipsi inquirendo veritatem assequamur.

9.

Haec etiam praecipua, me judice, virtus est philosophiae Platonicae, quod exemplar summi Philosophi in Socrate nobis exhibet. Vere enim dixit Vir doct. Ast: „*Platon stellt nehmlich den Philosophen (den Socrates) nicht als bloss speculativen Denker, sondern zugleich als Menschen und als Staatsbürger dar.*" — (Platon's Leben und Schr. p. 39.)

Corrigenda.

Pag.	24.	summo Bona.	*Lege:*	summo Bono.
»	56.	notam.	»	novam.
»	95.	πάσης.	»	πάσης ὕλης.
»	96.	caeperit.	»	coeperit.
»	98.	Eri — Erus.	»	Eris — Er.
»	100.	auctus.	»	actus.
»	128.	fessinatione.	»	festinatione.
»	129.	accest.	»	accessit.
»	135.	haud nonnullis.	»	nonnullis haud.
»	138.	regiat.	»	regit.
»	157.	Diss. XIII.	»	Diss. XLI.
»	170.	tam etsi.	»	tametsi.